DE PALMARIIS VOLUNTATIS ÆGRÆ MEDELIS

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
JURIUM
QVIBUS
LIPSIENSES ARTIUM MAGISTRI
GAUDENT
OBTINENDORUM ERGO
INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
INDULTU
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMISSA
A

M. JEREMIA KÆTZLERO
HIRSCHB.-SILES.

RESPONDENTE HORIS POMERIDIANIS

JO. SIGISMUNDO ECKHARDO
SVIDN. SIL.

A. MDCCXXV. D. XXIIX. SEPT. HORIS ANTE ET POMER.

LIPSIÆ
LITERIS BREITKOPFIANIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

A & Ω.

§. I.

TAntam animæ noſtræ per labem illam Protoplaſtorum corruptæ in ipſis etiam naturalibus eſſe corruptionem, quantam quidem nec noſtra ſatis digne mens concipit, nec lingua eloquitur, omnes certe virium ſuarum proh! quam debilium juſti æſtimatores fatentur. De intellectu nunc dicere nihil attinet, qui cum tanta acquiſitæ cognitionis anguſtia, errorumque turba conflictatur, (a) ut medela indies majore indigeat. Voluntatis hic ſibi examen inſtituti vendicat ratio, illa ſiquidem dulci pravarum cupiditatum veneno infici tam facile ſolet, nec Epidemico tamen, cum quo colluctatur, morbo mederi diſcupit. Licet enim eidem poſt lapſum quoque in honeſtis, quas Moralium doctrina præcipit, actionibus non derogetur libertas, (b) non tamen ἐπιμελῶς, quæ ratio præſcribit, exequitur, cum cupiditatum in homine vis tanta plerumque ſit, ut affectuum ſæpius illecebris, quam rectæ rationis dictamini obſequatur. Quæ vitiorum peſtis cum tanto ſibi ſolertiorem medelam vindicet, quanto

Digitized by Google

& latius ſerpit, & periculoſius nocet, nunc temporis argumentum diſſertationis ſelecturo de ipſis ægræ voluntatis humanæ medelis (c) qualemcunque opellam ſuſcepiſſe operæ mihi pretium videbatur.

(a) Ea nimirum eſt anguſtia mentis humanæ, ut multa nobis incognita maneant, quibus inveſtigandis nec Oedipus ſufficit. Ex inductione id in apricum ponere in propatulo eſt. Ita verbi cauſa inter alia pertinent huc, quæ de arctiſſimo corporis & animæ vinculo, de animæ ſede, ſtupendis naturæ myſteriis, multisque aliis ultrocitroque inter Philoſophos diſceptata ſunt. In quibus omnibus ultra probabilitates ſubſiſtere, parum vero certi & ut loquuntur, apodictici definire licet. Et quis longa ſerie errorum ſibi cohortem recenſendam ſumat, quibus ii etiam, qui ſupra vulgus ſapere videbantur, ſeſe implicuerunt. Quis enim, ſi vel aliqua ſpeciminis loco in medium producere licet, quis adduci ſe patiatur, ut cum Maledicto Spinoza unam tantum in rerum univerſitate credat ſubſtantiam, quis Carteſii, quas finxit, ideas innatas admittat, quis cum Beckero omnem diabolorum exiſtentiam neget, quis cum Hobbeſio majorem potentiam pro principio Juris Naturæ facile adſtruat. Eloquuntur hæc abunde ſatis, quam proclivis in varia errorum præcipitia intellectus ſit, & quam inſigniter acutiſſimi etiam Viri hallucinentur. Unde tanto magis neceſſarium erit, ut per aſſiduam indies veritatis in profundo latentis indagationem ignorantiæ, per ſollicitam vero de iis, quæ rem circumſtant, meditationem erroribus occurramus. Haud enim infrequenter paulo incurioſius rem contemplantes, erramus, ipſoque noſtrum exemplo & experientia edocemur, quam falſa ſit eorum ſententia, qui reſidua poſt lapſum poteſtate cavendi, ne unquam erremus, intellectum gaudere exiſtimant. Quorum quam maxime in cenſum venit dictus Carteſius, cujus in hanc ſententiam vide Principia parte 1. Num. 6. ſuffragantes hic ſibi habet Burmannum in Synopſi Lib. I. Cap. 24. §. 19. Velthuſium de initiis primæ Philoſophiæ p. 14. & p. 274. Petrum Alling. in Erotem. Illuſtr. Decade 11. Erotem. 10. ſed non minore iis contentione ſe oppoſuere D. Leydekkerus in Face Veritat. loc. X. Controv. 8. p. 462. Petrus von Maſtricht in Gangræna Novit. Carteſ. ſect. poſt. Cap. 33. p. 500. ſqq. Ex noſtratium Theologorum cœtu inprimis B. D. Schomerus in Collegio Noviſſ. Controverſ. Cap. 10. §. 2. pag. m. 172.

(b) Inter alia nimirum etiam operandi modo ab intellectu differt voluntas. Sicut enim ille eſt potentia neceſſaria, quæ poſitis omnibus ad intelligendum requiſitis non poteſt non intelligere, judicare ac ratiocinari, ita e contrario hæc libere operatur. Eſt vero in moralibus, de quibus hic loquimur, propria voluntati libertas, I. a coactione talis, qua ab externo principio quoad actus elicitos ad quicquam compelli nequit. II. Libertas a neceſſitate naturæ, etiam ad actus ſeſe imperatos extendens, liberumque homini arbitrium relinquens, locomotivam externam ita gubernandi, ut vitium non amplectatur.
Prout

Digitized by Google

Prout nimirum ab intellectu ſub ratione bonitatis ſive vere, ſive apparenter talis repræſentata voluntati res eſt, huic liberum manet, aut virtutem in Ethicis ſectari, aut vitium, quod ſub ſpecie boni arridebat, amplecti. Quæ libertas tanto minus homini, quem non ut truncum & ſtipitem ſapientiſſimus Creator condere voluit, quemque inter & brutum evidens hoc ipſo intercedere diſcrimen debebat, deneganda eſt, cum omnis alioqui culpa vitiorum & pœna, omne virtutis ſtudium, omnia rite peractorum præmia, omnis denique legum vis e medio tolleretur. Damnanda igitur eſt ſententia Hobbeſii, cujus placita Conringio deliramenta vocantur, ita enim ille in Operibus Philoſoph. ſpeciatim Phyſica ſ. Naturæ Phænomenis Cap. XXV. p. 202: *Neque libertas volendi vel nolendi major eſt in homine, quam in aliis animalibus. Nam in appetente appetendi cauſa præceſſerat integra, & proinde ipſa appetitio non ſequi non poterat, i. e. ſecuta eſt neceſſario. Libertas igitur talis ut a neceſſitate libera ſit, neque hominum neque brutorum voluntati convenit. Quodſi per libertatem intelligamus facultatem, non quidem volendi, ſed quæ volunt, faciendi, ea certe libertas utrinque concedi poteſt, & cum adeſt, æque utrique convenit.* Nec minorem Syſtematis Cauſarum Occaſionalium deſenſores hic cenſuram merentur, quibus recenſendis facili negotio ſuperſedere poſſim, cum ſtudioſe id factum ſit a B. D. Grapio in Theologiæ recens Controverſæ Tomo II. Cap. II. de providentia Quæſt. 3. ubi inter alia refutandæ Theſeos argumenta in probatione 4ta ad negationem libertatis humanæ ex illorum ſententia prono quaſi alveo profluentem provocat.

(c) Dum de medelis ægræ voluntatis humanæ diſſerere conſtitutum eſt, vel nobis tacentibus quivis perſpiciet, ſorum iſta ſapere Medicorum, aut potius eorum rationem, qui Methodo medica Ethicam tractare conſultum ducunt. Variæ nimirum Moralis philoſophiæ placita tradendi habentur Methodi, quas longa ſerie recenſere ſupervacaneum foret, cum otium ea in re nobis fecerit Georg. Paſchius in Tract. de variis Modis moralia tradendi. Samuel Rachelius Cap. XIV. XV. Introductionis in Philoſophiam Ariſtotelis Moralem, Thomaſius in Cautelis p. 330. Gundling. in Hiſtoria Philoſ.. Halæ 1706. edit. in 4. Liceat vero nunc mihi Celeb. D. Buddei veſtigia premere, qui, qua Philoſophiam Rationalem, eadem Methodo Moralem quoque cum orbe Erudito communicavit, ita nimirum ut methodo Medicorum ſuam de ſanando corpore doctrinam 5. Capitibus, Φυσιολογίᾳ, Νοσολογίᾳ Ὑγιεινῇ, Σημειωτικῇ, & tandem Θεραπευτικῇ abſolvere ſolitorum inſiſteret. Qui tradendi modus ita jam ante illum viris quibusdam doctiſſimis arriſit, ut eandem ad Philoſophemata ſua accommodare nulli dubitarent. Ut enim tacitus præteream, quod jamjam Cicero Lib. III. Tuſcul. Quæſtionum & ipſe Medicinam Mentis Philoſophiam appellet, cum ita: Eſt profecto, inquit, animi medicina philoſophia, cujus auxilium uti in corporum morbis petendum eſt, omnibusque opibus ac viribus ut noſmet ipſi nobis mederi poſſimus, elaborandum, & non deſuiſſe notet, qui Philoſophiam, Moralem præcipue (hoc enim tam honorifico titulo inprimis Prudentiam Morum nuncupandam eſſe, vel ipſe Medicorum facile Princeps Hippocrates agnovit in lib. de decenti habitu) velut quandam animi Medicinam ante oculos ponendam cenſerent, e recentiori tempeſtate innotuit Scipio Claramont. qui Semioticam Moralem X. Libris complexus eſt, Venet Anno 1625 edit. & poſt eum Vincent.

 Placcius,

Digitized by Google

Placcius, qui publici juris fecit Noſologiam & Medicinam Moralem, Hamb. edit. Et ſane, quis vitio vertat, animum inter & corpus judicioſam comparationem inſtituiſſe, ut, quemadmodum ab hujus, quod externum eſt, tibi corruptione prudenter caves, multo magis commonſtres, neceſſarium eſſe ab interioris animi longe tibi peſtilentioribus proſpicere morbis, modo hunc ipſe hic judicii morbum vites, ut cum Thoma Campanella novitatis cacoëthe infecto omnium tibi ſebrium familiam longa tum ſerie recenſendam ſumas. Ita enim, quod ſola ſibi Medicorum præciſe pulpita vendicant, ἀτόπῳ prorſus ratione in ſcenam prodire jubes, inque meſſem alienam falcem immittis. Hoc tibi tantummodo negotii datum eſt, ut vivis quaſi coloribus ſtatum voluntatis humanæ perquam miſerum, nec ægroto diſſimilem repræſentes, argumenta etiam in medium proferas, quæ hunc quadantenus parallelismum illuſtrent. Enim vero fateor quidem, & quotus quiſque non primo ſtatim intuitu perſpicit, ſi dicendum, quod res eſt, Methodum hanc Medicam eandem eſſe cum Analytica, tractandis Philoſophiæ Practicæ diſciplinis accommodata. Sicut enim Analytica Methodo a fine ad ſubjectum, a Subjecto ad media, per quæ finis in Subjectum eſt introducendus, procedimus, ita etiam hic ordine paululum mutato, ut a ſubjecto exordiamur, fit progreſſus. In Phyſiologia quippe conſideratur Subjectum, Homo nempe ſanandus, in Noſologia finis remotivus nimirum Morbi in Hygiene, finis Poſitivus, nempe ſanitas. Media Inſtrumentalia tradit ſemiotica ſeu Doctrina de ſignis morborum vel ſanitatis. Principalia tandem Θεραπευτικὴ ſuperaddit. Verum in eo tamen differt quoad accidentalia, ut cum Philoſophis loquar, ut majori ſe ſuavitate commendet majorique & occulta quaſi virtute ad meliora voluntatem flectat, & pertrahat, quæ tunc demum de medelis attentius cogitat, ubi ſe æque ac corpus morbidam eſſe intellexerit. Cum igitur poſtrema hæc, quæ præſcribit medicamina, pars omnium ſit utiliſſima, contemplatuque certe digniſſima, ad eandem meditationis non nihil conferre voluimus, ut, quæ ab aliis aut in compendio tantum, aut ſparſim & diſtracte tradita ſunt, ni omnibus numeris exacta, perſpicua tamen commodaque ratione proponerentur, ſicubique neceſſum fuerit, iis, quæ ad rem pertinebant, additamentis illuſtrarentur. Quæ omnia ad tria nobis Capita omnino reduci poſſe videntur. I. ut Terminos, obſcuritatis vitandæ, ipſiusque rei tanto penitius cognoſcendæ cauſa evolvamus. II. Ipſas voluntatis humanæ medelas ſuppeditemus. III. Differentiam harum a medelis, quas Theologia ſubminiſtrat, commonſtremus.

§. II.

Voluntatem (d) hominis ægram (e) eſſe, nemo facile, opinor, negaverit, cum in ſe ipſo morbos ſat certe multos quilibet deprehendat. Aſcititiam quoque, non naturalem hanc noſtram ægritudinem eſſe perſpicit ratio, utut originem ejus intimiorem non aſſequatur. (f). Culpa in nos redundat, quod ægri ſimus, nobis de ſanitate allaborandum, nobis tandem medelæ (g) ſunt admovendæ,

dæ, quibus voluntatem, quoad ejus fieri poteſt, ſanitati reſtituamus. Tum demum vero ſanum te moraliter eſſe credas, ſi quæ cum lege naturæ conveniunt, (h) exequaris.

(d) De voluntatis definitione non eſt, cur diu multumque ſimus ſolliciti, cum ad unum omnibus conſtet, eſſe illam animæ rationalis alteram facultatem, quæ ordinata eſt ad objecta ab intellectu cognita & judicata ſub ratione boni appetenda, aut averſanda quoque ſub ratione mali. Siſtimus vero hic, ut ſcholæ loquuntur, ſubjectum inhæſionis, & quidem μέσον ſeu ſecundarium (aliis ſubjectum quo dictum) cui nimirum ægritudo iſta inhæret, quoque mediante anima ſubjectum quod illam recepit. Anima enim ipſa habituum ut intellectualium ita quoque moralium, ſive boni ſive mali ſint, πρῶτον eſt δεκτικὸν, ſeu primum & radicale recipiens, ſicut homo ceu totum compoſitum latius adhuc patet, animam cum corpore pro parte eſſentiali agnoſcens. Dum vero ægram eſſe voluntatem affirmamus, ex ipſa, quam dedimus, definitione apparet, eam voluntatis ſignificationem, qua intellectui contradiſtinguitur, præciſe hic innui, quanquam actus ejusdem corrupti tum averſativus, tum appetitivus non excludantur. Neque vero probanda nobis videtur Petri Poireti ſententia, qui duas animæ facultates intellectum & voluntatem aſſeruiſſe, nimis vulgare ratus pro hac deſiderium & acquieſcentiam ſubſtituit. vide Methodum ejus inveniendi verum, libris de triplici erud. præmiſſam, Amſtelod. 1707. 4. §. 50. ſed parum in eo ipſo veritatis commonſtrat. Enim vero duo quidem, quæ ſubſtituit, tum ἀταξίᾳ laborare fatemur, quando quis philavtiæ grata, legi contra naturæ adverſa deſiderat, in eorumque totus fruitione acquieſcit; at nemo propterea cum actibus ipſam δύναμιν illos elicientem confundet, potius ad voluntatem altero quaſi reſpiciens oculo hoc tantummodo feret judicium: Qualis cauſa, talis effectus.

(e) Quemadmodum Medici priusquam de ſanando corpore cogitent, in morbum antea, quo liberari ſe cupit ægrotus, inquirunt ſollicite, ita nec inconveniens inſtituto eſſe arbitror, de ipſa ægritudine voluntatis pauca diſſerere, antequam medelas ejusdem oſtendam. Ut vero morbus corporis ſecundum conceptus Metaphyſicos nihil aliud eſt, quam privatio quædam mixta ſeu privativo-poſitiva, quæ non ſolum nudam ſanitatis privationem, ſed formæ etiam illi contrariæ poſitionem involvit, ad quam noxios humorum vitalium motus, partium anomaliam atque confuſionem, materiam peccantem &c. referunt Medici, ita eodem ſenſu voluntatem hominis ægram eſſe recte contendimus. Non enim ſanitate tantum deſtituitur voluntas, ubi operationes edit rectæ rationis dictamini non convenientes, ſed pernicioſis etiam morbis infecta eſt, qui, quo minus edat, impediunt. Referas huc perverſum, quod pravis cupiditatibus præſtat, obſequium, a quibus effreni ad quævis vitia pruritu ſe abripi patitur. En inordinatos voluntatis affectus, ſi normam reſpicias. Dum enim iis, quæ dictitat lex Naturæ, obtemperare fas erat, appetitus ſenſitivi regulam ſequitur, quæ in ſuavia tantum atque utilia, utut prohibita, cœco fere impetu ferri ſuadet. Unde triplex ille vitiorum cardinalium amor, quo alios ambitio vana, alios damnoſa voluptas, alios turpis avaritia occupat. Quæ tamen de prædominante tantum

Digitized by Google

affectu, qui pro temperamentorum diverſitate diverſus etiam in ſubjectis eſſe ſolet, volumus intellecta. Cæterum ut ex uno corporis morbo plures haut raro alii oriuntur, ita res etiam cum hiſce voluntatis humanæ morbis comparata eſt. Ita ex avaritia propullulant morbi perfidiæ, immiſericordiæ, aſtutiæ, invidiæ & ſic porro, ut ex ambitione, ex voluptate alii, quibus aſſerendis non immoramur. Hic enim non ex inſtituto morborum ſeriem recenſere, ſed id tantum opus erat, ut generatim, ſufficienter tamen voluntatis humanæ ægritudo ob oculos poneretur. Quemadmodum vero variorum ſæpe morborum una tantum cauſa eſſe poteſt, ita nec hoc prætermittendum, ex philavtia horum vitiorum omnium pravas inclinationes oriri. En iterum inordinatum voluntatis humanæ affectum, ſi modum contempleris. Quanquam enim philavtia ſenſu etymologico accepta nihil vitii habet, potius cum ad conſervationem ſui ipſius tendat, & Lege Naturæ & Revelationis præcepta eſt, imo hac neglecta ipſis brutis eſſemus deteriores; hic tamen in ſenſu malo & philoſophico accepta, qua ad noſtrum commodum omnia traducentes, nimis noſmet ipſos, ſpreto primario illo Numinis amore, amamus, vel ideo maxime attendi meretur, quoniam periculóſiſſimus, ſanatuque difficillimus omnium morbus eſt. Ex quibus demonſtraſſe ſufficiet, etiam ratione morborum in voluntate humana conſpicuorum hominem apud Ebræos merito אנוש appellari ut Jobi XV. v. 14. it. XXV. v. 4. Ubi enim ipſe ſacer codex ad exprimendam ejus in ſpiritualibus corruptionem hanc vocem uſurpat, eandem huc etiam nobis, qui in moralibus verſamur, retuliſſe licebit.

(f) Solæ nimirum paginæ ſacræ intimiores corruptæ voluntatis natales nobis aperiunt, dum deplorandam protoplaſtorum labem commemorant. Sed ex ipſo lumine Rationis id tamen cognoſcimus, quæ demum cunque tantæ ſit corruptionis origo, non Deo, ſed nobiſmet ipſis cauſam ægritudinis eſſe tribuendam. Ita enim meditatur quaſi vel ſepoſito revelationis lumine ratio noſtra: Primo, Deum eſſe certiſſimum eſt; præter inſitam enim, quam omnium menti inſcripſit notitiam contra P. Bælium, Lockium, aliosque a Celeb. Loëſchero in Prænot. Theologicis ſtrenue vindicatam, rerum conditarum contemplatio, admiranda omnium rerum harmonia & conſervatio, virium in creaturis limitatarum conſideratio illud eloquitur. Datur ergo Ens quoddam ſummum, quod hæc omnia & potenter produxit, & ſapienter conſervat. Confer. Lactant. de falſa Relig. Cap. II. Deinde ex ipſa male actorum conſcientia pœnarumque metu, multis Tyrannorum inter Gentiles exemplis comprobato, ſupremum illud ens vitiorum eſſe & oſorem & expertem haud obſcure concludis. Quæ enim metuendi cauſa, ſi de juſtitia ejus, cui times, ac ſanctitate dubitare poſſes? Et quomodo negare poteris, cum ex imagine divina quædam qualiscunque adhuc perfectionis rudera ſupereſſe tibi videas, ens illud, cui eſſe tuum deberis, multo rebus creatis eſſe perfectius, ſive qualitatem, ſive quantitatem ſeu numerum perfectionum ἀνθρωποπαθῶς loquendo reſpicias. Accedit ipſa divini Numinis ſapientia, cui ſane repugnaret luculenter, in ſui dedecus voluntatem humanam morbis & corruptionibus infeciſſe, ſicut potuiſſe creari, puritati divinæ adverſatur. Nil igitur ſupereſt, quam ut corruptionem voluntatis nobiſmet ipſis non Deo Conditori tribuamus. Recte enim Plato Dialogo 2. de Republ. Bonorum quidem inquit, ſolus Deus cauſa eſt, malorum autem quamlibet etiam aliam

præter

Digitized by Google

præter Deum cauſam quærere decet. Nam malorum alicui cauſam eſſe Deum, cum bonus ſit, refellendum eſt omnino, nec permittendum, hoc quemquam dicere in ſua civitate, ſi bonis inſtrui civitas legibus debet. Unde apparet, Ethnicum ex ipſo rationis lumine ens quoddam ſupremum & revera dari, & vitiorum eſſe expers, intellexiſſe, licet in vera illius cognitione & genuino cultu erraverit. Neque hic triti illius Canonis Metaphyſici: Cauſa cauſæ etiam eſt cauſa cauſati, objectio quicquam juvat, ex hoc ipſo, quod Deus ſit cauſa voluntatis humanæ eundem quoque autorem corruptionis eſſe, impie concluſuros. Vide Stahlium Parte I. Reg. Philoſ. Diſp. V. Reg. 4.

(g) Medelarum vocabulo tanto hic lubentius uti placuit, quanto commodius ægritudini opponitur. Nihil aliud vero iisdem intellectum volumus quam media, quibus voluntati corruptæ ſuccurramus, quæ eo tendant, ut vitiorum propenſio fortiter ſupprimatur, e contrario autem virtutis ſtudium excitetur, corroboretur. Neque hic a recta veritatis via nos aberraturos confido, ſi medelas has admovere voluntati, integrum homini eſſe dicimus. Secus enim res comparata eſt cum medelis corruptæ voluntatis in ſpiritualibus ſpectatis, ubi, quicquid agis, non tuis, ſed tibi conceſſis viribus perficis, qua de re infra ulterius diſſerendum venit.

(h) Eſt nimirum lex Naturæ norma ad quam ceu Lydium lapidem actionum moralium honeſtas aut turpitudo æſtimanda eſt. Nec Ariſtippi & Carneadis veterum Philoſophorum ſententiam nos moramur, qua nihil natura honeſtum dari, ſed a lege tantum & arbitrio hominum omnia hic pendere exiſtimarunt. Inſcripta ſane Cordi hominum eſt divina illa lex, ſine externa promulgatione nota, qua ad ea, quæ neceſſario & per ſe bona ſunt, h. e. per divinam voluntatem non niſi mandari poſſunt, exequenda, ad ea autem, quæ per ſe mala ſunt, h. e. per eandem non niſi vetari poſſunt, fugienda nos obligamur. Referuntur huc tria illa pro triplici objecto officia: Cole Deum, temperanter vive, Neminem læde. Neque tamen iis adſtipulandum putamus, qui pro principiis hæc J. N. habent, cum ut concluſiones potius ex generaliori promanent. Hoc vero cum J. C. Scaligero, Joh. Henrico Bœclero, D. Jægero Tübing. & B. D. Jano Wittenberg. Præceptore quondam meo poſt fata colendo, nihil nobis aliud eſt, quam amor Dei, amor ſui ipſius, & amor proximi. In aprico fortaſſis ex ſequentibus hæc ponentur. I. Reſpectu Dei. Huic ut ſummo Legiſlatori obtemperas, ex conſideratione ſanctitatis blaſphemiis eum offendere religioni ducis. Hunc ut Majeſtate plenum pro collatis beneficiis gratias agendo, propter conferenda precibus veneraris. Hæc obedientiæ, timoris, atque cultus officia lege naturali a Deo præcepta eſſe, unde tibi aliter innoteſcet, quam quia eadem lex Dei amorem ceu fundamentum injungit, eundemque ut principium primum tibi dictitat. II. Reſpectu ſui ipſius. Sic caſtitatem corporis, nimii item abſtinentiam cibi, in potu denique ſobrietatem Jus N. præſcribit. Hæc vero annon ſubordinata ſunt propoſitioni: Temperanter vive, ſicut hæc rurſus iſti: Conſerva te ipſum, nam intemperantia corpus deſtruit. Quicquid vero (ſic ad ultimum argumentaris) corpus deſtruit, cui id magis repugnat, quam mei ipſius amori, quo illi tantum deſtituuntur, qui brutis deteriores contra naturam agendo

Digitized by Google

agendo in ſua ipſorum viſcera ſæviunt. III. Reſpectu proximi. Sic J. N. iracundiam domare, indigis erogare opes, pacta ſervare, depoſitum reddere, furto abſtinere exigit. Ita nihil aliud exigit, quam manſuetudinem, liberalitatem, atque juſtitiam. Unde hæc tuarum eſſe partium perſpicis? Ex eo ſane, quia nemo lædendus, ſed ſuum cuique tribuendum eſt. Ex quo hæc iterum derivanda ſunt? Ex nullo alio certe principio, quam ex Celeb. Puffend. ſocialiter vive. Hoc denique ipſum vero unde deducitur, quam ex mutuo hominum cordibus inſcripto amore. Cæterum ex his tanto nunc luculentius patet, hunc duntaxat moraliter ſanum eſſe, qui ita ſe geſſerit, ut ex actionibus ejus amor aut ſupremi numinis, aut ſui ipſius, aut amor proximi, dummodo verus & genuinus ſit, eluceſcat.

§. III.

Ut propius igitur ad ſcopum progrediamur, ipſasque ægræ voluntatis humanæ medelas indicemus, hæc tria (i) utramque hic paginam facere videntur: I. Sollicita Educatio. II. *Honeſta Converſatio*, & III. Sincera Meditatio. Illa primos corruptæ voluntatis inſultus cohibet. Iſta, quo minus inficiant aliorum morbi, prohibet. Hæc in anteceſſum utiliſſima quæque contra corruptionem conſilia exhibet. Ac prima quidem, nempe ſollicita Educatio (k) inter ægræ voluntatis medelas primo certe loco nominari meretur, cum ab hac ipſa ſollicite inſtituta ſanitas moralis plurimum pendeat. Opus hic Parentibus admodum erit, ut primis ex ſe natorum depravatis cupiditatibus occurrant, (l) ut prædominante eorum affectu probe perſpecto ad meliora virtuteſque rectas filios dirigant, (m) ut rationi, non vero rebus, ut ita loquamur, ſenſualibus aſſuefaciant, (n) ut ſaniora monitos ad obſequia parata prudenter inflectant (o), ut optimis quibuscunque moderatoribus committant, (p) ut conſuetudini minus moratiorum hominum ſubtrahant (q) & quod primum ſibi locum vendicabat, ut denique ipſi & voce & vita fideliſſime iisdem anteeant (r).

(i) Nobis equidem integrum fuiſſet, plures adducere ægræ voluntatis humanæ medelas, quæ noſtro apprime inſtituto inſervire videntur. Sed cum ad citatas reliquæ omnes haut incommode reduci poſſint, cur entia præter neceſſitatem multiplicanda ſint, non videmus. Uno hic conſpectu ſiſtimus, quicquid ad ſanitatem voluntatis aut promovendam, aut tuendam facit, ſi attento hæc oculo contempleris. Ita non opus erat, pravæ conſuetudinis, quæ altera merito natura audit, fugam arceſſere. Hæc enim appoſite refertur tum ad educandi,

educandi, tum converſandi quoque prudentiam. Quicquid enim mali ſuſcipimus, aut affectuum ſtimulis concitati, aut aliorum exemplis inducti perpetramus. Ad illud evitandum faciet ſollicita Parentum educatio, quæ ſane primis pravorum affectuum inſultibus reluctata, ne vitia in habitum degenerent, proſpicit. Recte enim Poëta:

> Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
> Teſta diu. - - - -

Ad hoc, ne ſcilicet aliorum exemplis ad mala inflectaris, cavendum facit honeſta, quæ pravo conſortio e diametro oppoſita eſt, Converſatio. Ita nihil te movent perverſa aliorum facta, cum habeas, quorum vitam ceu ſpeculum honeſtatis intueare. Et demus, ut occurrant tibi exempla quæ ad perverſa quæque pelliciant, contra hæc ex ipſa iterum educatione, quæ meliora ſequi didicit, fortiter jamjam præmunitus es, tuo ipſius exemplo edoctus, quanta ſit & educationis & converſationis honeſta vis, quæ uſque adeo in pejora rapi, ut vitiis contracto habitu aſſueſcas, non patiuntur, ſi modo, quod ſumimus, virtutem ſerio ſectari volupe ſit. At forte Librorum Bonorum Lectio, peculiari loco collocari meretur? Neque hoc, ut exiſtimamus, opus erat. Hæc enim commode refertur ad meditationem. Quandocunque enim meditemur, ſi finis ὧ, cujus cauſa meditatio ſuſcipitur, ultimato ad praxin (hic ad voluntatis ſanitatem contendit) aut a nobiſmet ipſis, quod primum ac optimum, aut ex aliorum ſcriptis materiam meditandi depromimus. Illud te docebit, quanta ſit morborum tuorum indoles, quanta de medelis circumſpiciendi neceſſitas, hoc iis, quæ tuo ipſius exemplo perſpexiſti, adſtruendis robur tibi ac firmamenti addes, & magis magisque in ſerio de quo meditaris, negotio ſtrenue perficiendo animum confirmabit. Unde ſimul apparet, ipſam ſui ipſius notitiam, actorumque examen merito ad meditationem inſtar ſpeciei ad ſuum genus accommodari.

(k) Operæ nobis pretium videbatur, ante omnia ſollicitam liberorum educationem inter medelas ægræ voluntatis referre, hujus utut contemplatio trita fortaſſe ac vulgaris quibusdam videri poſſet. Non enim juſto crebrius, in quo tantum momenti ſitum eſt, inculcatur, nec negabit quisquam ſuo res pretio metiri gnarus, id tantummodo hic oſtendendum eſſe, quomodo hæc ipſa educatio ſollicite & cum inſigni ſanandæ voluntatis ſpe inſtitui a Parentibus poſſit. Dubitavimus etiam tanto minus id paulo attentius nobis contemplandum ſuſcipere, quod a plerisque, qui de medelis ægræ ſanitatis egerunt, prætermiſſum fuit. Recte quidem Celebrat. Buddeus educationem inter medelas intellectus humani in Philoſophia Rationali collocat, vide ejus Inſtit. Philoſ. Eclect. Tomo I. Cap. IV. §. ultimo. Sed ex alio forſan capite in Philoſophia Morali præteriit tacitus, cui tamen qualicunque noſtro judicio ejusdem conſideratio ceu propria ſedes ex profeſſo aſſignanda venit. Quis enim dubitet quæſo, eo haut difficili negotio adduci pueros poſſe, ut propter implantatum & commune ſciendi deſiderium propoſitam ſibi veritatem admittant, quemadmodum ſi fabulis & anilibus narratiunculis, intellectus emendationi adverſis eosdem obruas, idem impetres, ſed eorum philavtiæ quantum fieri poteſt, mederi, pravorum vim affectuum imminuere, quæ appetitui pravo abblandiuntur, ſupprimere:

Digitized by Google

Hic opus, hic labor eſt- - -

qui tamen tanto majori cum cura ſtudioque eſt impendendus, quanto certius ipſa rerum Magiſtra experientia loquitur, illo neglecto haut exiguam vitæ honeſtioris ſpem evaneſcere. Eſt enim Educatio, talis liberorum directio, qua iis tum corporis, tum animi (& quæ ſpeciatim huc ſpectat, voluntatis) habitibus inſtruuntur, quibus olim & juſte inter homines, & prudenter vivere poſſint.

(l) Quippe ſicut Medici primis morborum ſignis probe perſpectis periculoſioribus ſine mora medendo occurrere ſolent, cum e. g. veneni toto corpore diffuſi, ſi ad cor illud jam penetraverit, vis efficaci haut facile medicina repelli poſſit: ita parentes primis morborum, puta pravarum, quibus infecta eſt proles, cupiditatum inſultibus ſtudioſe reſiſtant, memores decantati illius:

Principiis obſta, ſero medicina paratur
Dum mala per longas invaluere moras.

Scilicet in primis infantiæ annis jam pravos quosque puerorum motus obſerves, ex habitu illo labis primævæ vitioſo, perque naturalem generationem ad ſe traducto exortos: qui ſane utut contemnendi videantur,& innocentiæ titulo parvi faciendi, produnt tamen jam abunde ſatis connatam corruptionem, quæ in actualia, ut loquimur, peccata erumpit. Ubi tamen obſervare liceat, τὸ actuale hic non accipi in ſtrictiori ſignificatu,pro eo nimirum, quod cum prohæreſi conjunctum eſt, quo ſenſu Theologorum ille aquila M. Chemnitius recte motus primos inter actualia peccata non collocat, neque adeo infantibus, utpote actu rationis reflexo deſtitutis tribuenda ſunt: ſed ſumi hic generatim pro omni habitus vitioſi exercitio, & affectu, quo ſignificatu ſane infantes non ſolum ob externa, quæ in oculos incurrunt, peccata, ad quæ impatientiam, geſtus incompoſitos, & quæ ſunt id generis alia, referas, ſed ob ipſos etiam pravos motus ac deſideria, quæ ſacer Codex figmenta cordis appellat, actualia vere peccata committere dixeris. Sed hæc obiter dum Theologorum caſtra ſapiunt, vel ideo tamen non prætermittenda, ut appareat, quam neceſſe ſit Parentibus, ut obnixe id agant, ne habitus ille vitiorum connatus, jam tum in actibus perverſis ſe exerens, in habitum degeneret acquiſitum, quod certe metuendum erit, ſi conſuetudo prudentia parentum non occupata ſenſim acceſſerit. Digna ſunt hac de re, quæ hic legantur Quintiliani ex libro I. Inſtit. Orat. Cap. 3. verba: Nulla videtur ætas tam infirma, quæ non protinus, quid rectum pravumque ſit, diſcat, tum vel maxime formanda, cum ſimulandi neſcia eſt, & præcipientibus facillime cædit. Frangas enim citius, quam corrigas, quæ in pravum induruerunt. Protinus ergo, ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus eſt puer, habendumque ſemper in animo illud Virgil:

- - - Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.

(m) Movemur ſcilicet omnes affectibus, ſed pro temperamentorum tamen diverſitate alter hoc, alter alio, prout ab inordinatis corporis motibus e diverſa ſanguinis temperie ortis, varie mens noſtra afficitur. Illum vero tum dominantem affectum nuncupamus, quo uno omnium crebrius concitamur, quique actiones noſtras maximam partem gubernat, ac dirigit. Sic, qui tempe-

ramento

ramento gaudent ſanguineo, ubi laudabilium copia humorum, caloriſque exceſſus obtinet, in iisdem voluptatis affectus primas tenere ſolet. Res omnibus nota eſt, nemini vero modum determinare licet, quæ forſitan cauſa fuit, quare Celeb. Syrbius contrariam amplexus ſententiam in philoſophiæ primæ parte I. Cap. 3. §. 20. p. 69. Sic igitur, inquiat, propenſio non tam temperamentum ſequitur, quam temperamentum propenſiones. Legi interea merentur, qui inſigniter in hoc argumento excutiendo verſati ſunt inter veteres Galenus in libro ſingulari, cui Tit: Quod mores animi temperamento corporis obſequantur, extans Tomo V. edit. Latino-Græcæ Pariſ. p. 400 ſqq. Inter recentiores autem Thomaſius in der Einleitung in die Ethic, parte 2. Cap. 7. p. 157. Nobis vero hic ante omnia attendenda videtur diſtinctio inter temperamenti ad hoc illudue inclinationem & inter ejusdem ad mala coactionem. His enim non rite præmonitis objicere forſitan poſſes (prout haut raro temperamenti indoles prætendi malitiæ ſolet) fruſtra Parentes de dominante filiorum affectu corrigendo allaborare, cum temperamenti natura ſecus facere haud permittat. Vero quidem verius eſt, ex primævo lapſu corpus etiam vitia contraxiſſe, (integer enim homo perpetuo ſolus εὐκρασίᾳ gaudebat) verum hæc ipſa corporis conſtitutio cum filios ad male agendum non neceſſitet, ubi mutari penitus temperamentum nequit, id parentum erit, ut exorto hinc eique dominanti liberorum pravo affectui quantum fieri poteſt, medeantur. Nec quinam in filiis dominetur quam maxime affectus, perſpexiſſe difficile adeo judicatu eſt. Habent ſua ſigna Medici, habebunt parentes. Sic e. g. petulanter ſe exhibere, ſeriis quæ exequi jubentur neglectis ludicra aucupari, in cibo pariter ac potu luxuriari, nil niſi oblectamenta circumſpicere, oblatæ laudum captandarum occaſioni luſus & delicias anteferre, labores impatienter ſuſcipere, dominantem voluptatis affectum temperamento ſanguineo proprium abunde ſatis oſtendunt. Utplurimum enim propenſionibus ſuis naturalibus inſervire pueri ſolent, cumque artem ſimulandi aut diſſimulandi nondum didicerint, honeſti averſatione pravique contra amore dominantem mature nimis affectum prodituri ſunt. Huic igitur occurrant Parentes eſt neceſſarium, & ad rectiora ex ſe natos inflectant. Quod omnium optime cum vitiorum iſtis oblectamentis inhærentium correctione, tum circumſpecta virtutis & obſequii parentibus debiti inculcatione obtineri poteſt. Inſtar omnium huic argumento inſervit Traduit de l. Anglois de Monſ. Locke par Pierre Coſte de l'Education des Enfans, vide ejus §. CV. ita inſignitum: Il faut tacher de connoitre la paſſion dominante des Enfans. Ad quam quidem Parentum prudentiam hæc etiam nobis refertur, ut virtutum ſimulacra liberis ante oculos ponant, ne ſpecioſo liberalitatis titulo ad prodigalitatem, parſimoniæ ad avaritiam, decori ad ſuperbiam imprudenter prolapſi nubem pro Junone amplectantur.

(n) Quam primum ad rationis uſum pervenerint filii, id inprimis Parentes ſibi datum negotii credant, ut ægræ ipſorum voluntati conſulturi, veras iisdem cauſas quare obſequium præſtare, & quicquid honeſtati repugnat, fugere teneantur, inculcent. Dici enim vix poteſt, quantum illud in omni vita ipſis emolumenti conciliet, ſi a puero rationi fuerint aſſuefacti, & quicquid ſuſcipiant, ad æquitatem naturalem referre didicerint. Si enim ſenſualibus (loqui ſic liceat) rebus eosdem ad officium invitare ſoles, nihil ſane certius obtinebis,

Digitized by Google

quam ut rectiores ipſorum inclinationes corrumpas, & quod parentum amore inducti feciſſent, ideo tantummodo exequantur, quod inde ſe præmia forſan ſperant reportaturos. Id enim ſi intellexerint pueri, promiſſis tantum pariter ac præmiis ſe a Parentibus ad virtutem induci, meliores ipſorum actiones peſſimo veneno inficientur. Tunc enim, non, quia voluntatis corruptæ emendatio honeſta per ſe res eſt, non quia J. N. id poſtulat, non quia Deus præſcribit, demandatis ſibi partibus ſtabunt, ſed perverſa prorſus ratione præmiorum ſpe obſequendi promptitudinem metientur. Ut degener vero animus eſt, qui pœnæ tantum formidine peccare odit, ita illiberalis, qui non niſi ſenſualibus eſt intentus nec virtutem ſectatur, manifeſta niſi merces operum finis ſit. Confer. Malebranch. de inquirenda veritate Lib. II. parte I. Cap. 8. qui copioſius hoc de argumento exponit.

(o) Ut ægroti ſaluberrima ſæpe medicamenta reſpuunt, quibus tamen vires aut amiſſæ recuperari, aut debilitatæ corroborari poſſunt: ita etiam filii admotas a Parentibus ægræ voluntatis medelas haud raro repudiant. Hic igitur Parentibus prudentia opus eſt, ut ipſos neque indulgentia malitiæ tenaces, neque nimia ſeveritate reddant ſerviles. Indulgendo non imminuitur morbus, ſed augetur, ſicut periculoſiores iſti ægri habentur, quibus inordinati fomenta appetitus ſubminiſtras. Durioribus ergo interdum remediis opus erit, & Medicorum more

- - - - - immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Diverſe hic inter veteres quoſdam ſentitur. Acriter in filios animadverti inter veteres philoſophos non improbavit Chryſippus, vide Laërt. in vita, & ex eo Stanlej. in Hiſt. Philoſ. Secus ſentit Plutarchus, qui ſervis id magis, quam liberis convenire putat, in aureo Tract. περὶ παίδων ἀγωγῆς p. m. 162. Nos in medio tutiſſimi ibimus, aſſerentes, duplici hic ratione peccari poſſe (1) ratione Objecti. Aut enim in eo, quod ipſarum partium eſt, filii abunde inſtructi ſunt, nec tamen obſequia præſtant; aut quid æra diſtent lupinis, nondum exacte ſatis perſpectum habent. Si prius, quid obſtat, quo minus crebriori contumaciæ caſtigando occurras; ſi poſterius, citra rationem agis, nec animum certe, ſed corpus inſtituis (2) ratione modi, ſi nimirum animadverſio limites tranſeat, nec ſpiret amorem, ex quo promanare debet, nec ad ſalutem filiorum ceu ſcopum tendat. Tum cavendum omnino, ne animis eorum ſervitus, h. e. illiberalis timor pro amore ingenuo inducatur. De voluntatis ægræ medelis diſſerimus. Imitari ergo hic etiam Medicos Parentibus convenit: ſicut enim illi amaris medicamentis dulces ſuccos miſcendo, ad id, quod ægrotantibus expedit, aditum faciunt, ita hi etiam ſeveritatem manſuetudine & gratia temperabunt.

(p) Quantum ex hoc momento ad educandos utilitatis redundet, non ignorat inter alios Apulejus, qui quorum animæ vitiis imbutæ ſunt, eos curari ſuadet medicina ſapientiæ. Neque hoc igitur negligent Parentes, ut optimis quibuscunque moderatoribus ex ſe natos committant, ſi ægræ ipſorum voluntati remedia adhibere ſerio ſatagunt. Non enim omnis parens Chryſippus eſt, qui ſolus

Digitized by Google

ſolus interroganti, cui commendaret filium, reſpondere poterat: Mihi Nam. ſi quempiam me excellere putarem, ipſe apud eum Philoſophiæ darem operam. Vide Laërt. in vita. Et demus, ut eruditione polleat Parens, præſtare tamen, idoneum elegiſſe Magiſtrum, Edmund. Richerius recte exiſtimat, cujus allatas rationes vid. in Obſtet. Animor. Cap. III. §. 5. Duo vero inprimis ſunt, quorum cauſa Parentes idoneis ad docendum viris filios concredere tenentur. Juſtitia nimirum, atque prudentia. Utraque enim in ſcholis etiam cereæ juventuti doctrinæ tum melioris & monitorum ſigna admittenti proponenda eſt. Illa, ut regulas, ex quibus Officia erga Deum, noſmet ipſos ac alios homines præſtanda fluunt, accurate noſcat, & quænam actiones juſtæ, quænam injuſtæ ſint, non ignoret. Hæc ut humanæ voluntatis naturam, inclinationes, & viam denique ipſam probe intelligat, qua prudenter ſibi cavere diſcet, ne impotentia affectuum ab executione ejusdem, quod bonum eſſe cognovit, abſtrahatur. Illa puerorum animos contra ſtultitiam firmiſſime muniet, ne quicquam temere, nec juſto fine antea rite perpenſo ſuſcipiant, ſicut hæc adverſus malitiam, ne media juſtitiæ h. e. iis, quæ Deo nobismet ipſis ac proximo debemus, adverſa amplectantur. Sic medela voluntatis erit tutiſſima, quando ii, quorum curæ fideique commiſſa juventus eſt, hanc ipſi quod præſupponimus, vitiorum contagine non inficiunt, ſed ſaluberrima quæque contra ægritudinem moralem præceptis non minus quam exemplis remedia ſubminiſtrant. Sed quid conſilii, cum metuendum ſit, ne, ſi frequentiæ ſcholarum tradideris filios, peſſimo aliorum, cum quibus una ſunt, conſortio corrumpantur. Facile eſt hujus metus remedium. Optimum certe præbet Quintil. cujus verba inſignis elegantiæ cauſa digna judicamus, quæ hic integra citemus: Utinam, inquit, liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus. Mollis illa Educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. Ante palatum eorum quam os inſtituimus. In lecticis creſcunt, ſi terram attigerint &c. ubi tandem NB. ita concludit: Inde ſoluti ac flentes non accipiunt e ſcholis mala iſta, ſed in ſcholas afferunt. Erit itaque, ut ad oculum patet, id quam maxime parentum, ut ipſi nihil deſiderari patiantur, quod ægræ filiorum voluntati medetur. Scire volunt omnes, & a puero ingeneratum cuique ſciendi deſiderium Leg. Faës Cap. I. De dubiis Carteſ. p. 13. 14. Eas igitur mature veritates ex ſe nato uterque Parens inſtillet, quæ Lumen veri ſemenque honeſti ſpirant. Ita enim tanto ſecurius publicis Muſis permittent, quos intra privatos parietes contra pravorum conſortiorum peſtem rite præmunitos exiſtimant.

(q) Neque hoc negligendum erit Parentibus, qui ægræ filiorum voluntati mederi ſtudent. Sanitatem ejus exponis periculo, quem cum peſte infectis frequenter eſſe permittis. Quid igitur ab iis bonæ frugis expectes, quos laſcivas inter famulas & improbos ſervos, quorum moribus honeſtiſſima quæque ingenia corrumpuntur, educas. Obſcœnis eorum dicteriis, poſticis fannis, temerariis juramentis, impiis maledictis, inſulſis moribus cereo in vitia flecti adoleſcenti mature affricatur labes, quæ deinceps ægre eluitur. Sic inſinuant ſe facile vitia, ad quæ pravorum exemplis inductus es. Reputaſſe id olim videntur,

Digitized by Google

dentur, qui propoſitis pravorum exemplis a turpitudine vitiorum arcere filios contenderunt, tantum abeſt, ut ab improba plebe, cujus a conſortio repellebant, ſeduci eosdem paſſi fuerint. Lege quæ Tzezes in Chiliad. de Laconibus memorat, propoſitis ſervorum ebrioſorum exemplis a pravo horum Conſortio & vitiorum turpitudine filios abſtrahere ſolitis. Graviter itaque Philoſophus Seneça Epiſt. LXXXIIX: An tu quicquam in iis credis eſſe boni, quorum Profeſſores turpiſſimos omnium ac flagitioſiſſimos cernis. Quibus verbis procul dubio ad perverſum reſpicit morem Athenienſium, qui ſervorum curæ pueros tradidiſſe conſtat. Qui profecto mos, quicquid honeſti reſiduum apud hos erat, non extinguere non potuit, cum immodeſtiæ, intemperantiæ, & cujusvis generis vitiorum exempla indies ante oculos verſarentur. Confer. Ariſtot. in Libro de Moribus paſſim, & Lib. IIX. Polit. Cap. I.

(r) Ultimo id loco poſuimus, quod, ſi gravitatem & pondus ſpectes, primum ſibi merito vendicabat. Nihil enim verius dicitur, quam, ſi Parentes hoc neglexerint, parum aut nihil in reliquis profuturos. Demus enim, ut e. g. optimis quibuscunque Moderatoribus ex ſe natos committant, ut, ſi quid malitioſi perpetraverint, in eos animadvertant, ut minus moratiorum hominum conſortio ſubtrahant, nihil hæ, opinor, medelæ conducent, ſi ab ipſis Parentibus vitia imbibant, quæ contagio nocentiſſima eſt. Quos enim frequentius ante oculos habent, quam quibus vitam debent? Quorum autem exemplo facilius etiam ad prava inflecti poſſunt, quam eorum, quos imitari rectum & laudabile cenſent. Et vita igitur & voce anteire iis neceſſe erit, quos Parentes virtutem malunt ſectari, quam vitia. Unde illi certe culpandi quam maxime ſunt, qui e. g. partas a ſe opes liberis præſentibus evehunt, ſi quid licentius, dummodo ingenium ſpiret, a filiis dictum ſit, laudant, & admirantur, ſi aſtutiam prodiderint verbis, quaſi inſignis prudentiæ nota eſſet, riſu excipiunt &c. Quibus quidem illi nocentiores adhuc juventuti ſunt, qui præceptis quidem adoleſcentes regunt, non vero vita. Facere nos libenter volumus, quæ probamus in aliis, recte ait Quintil. Lib. X. Inſtit. Cap. II. ſic filii certe natura ad malum proclives, ad imitationem quoque proni erunt ejusdem, quod perverſo appetitui placet, diſcentque hæc miſeri, antequam vitia eſſe cognoverint. Blaſphemias ſi evomant Parentes, obſcœna dicteria loquantur, ore ſint maledico, rixas inter ſe moveant, ſint ebrioſi; omnia paulatim imitabuntur filii, qui nihil vident, nihil audiunt, nihil diſcunt, niſi mollitiem & perverſos mores. Non ſine cauſa, igitur Plutarch. in Libro cit. περὶ τῶν παίδων ἀγωγῆς p. m. 193. Πρὸ πάντων δεῖ τοὺς πατέρας τῷ μηδὲν ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ πάντα, ἃ δεῖ πράττειν, ἐναργεῖς ἑαυτοὺς, παράδειγμα τοῖς τέκνοις παρέχειν, ἵνα πρὸς τὸν τούτων βίον ὥσπερ κάτοπτρον ἀποβλέποντες ἀποτρέπωνται τῶν αἰσχρῶν ἔργων καὶ λόγων. Id ſi obſervaverint, tum demum feliciſſimum ægræ filiorum voluntati remedium admovebunt. Atque ſic nihil nos omiſiſſe putamus, quod ad hanc primam voluntatis humanæ medelam aliqua nobis ex parte facere videbatur.

§. IV.

Venimus nunc ad alteram ægræ voluntatis medelam honeſtam

ſtam Converſationem, (s) quæ, quo minus inficiant aliorum morbi prohibet (t). Quicquid enim objiciant alii (u), ſi hæc prudenter (v), atque ita, ut honeſta aliorum exempla imiteris (w), inſtituatur, tum tutiſſima certe ægræ voluntati remedia afferemus (x).

(s) Breves de induſtria erimus in ediſſerenda hac ægræ voluntatis medela, cujus per ſe virtus conſpicua eſt, maxime cum otium ea in re nobis fecerit Stephanus Guazz. in Tract. de Converſatione Civili. Non enim ut vel tacentibus nobis, unicuique patet, agimus hic de Converſatione privata, quæ maritum inter ac conjugem, parentes ac liberos, dominos atque ſervos intercedere ſolet. Hæc enim ad peculiares tantummodo homines reſpicit. Non de aulica; Hæc enim uni duntaxat loco affixa eſt. Non de ſcholaſtica, quam ſupra laud. memorat Richer. in Prolegom. Hanc enim inter media ſollicitæ Educationis retulimus. Non de erudita, cujus in Ulyſſe Homerus, in Platone Auguſt. Lib. 8. de civitate DEI Cap. IV, exemplum notat, fructum vero extollit inter alios Roland. Mareſius Lib. I. Epiſt. XLIII. ad Nic. Heinſium, & Tſchirnhaus in Medicina Mentis Parte 2. paſſim. Hic enim non tam in intellectu erudiendo, quam voluntate ſananda occupamur, non denique de Converſatione polita, de qua quotquot decori regulas tradiderunt, videre licet. Hic enim non tam, quomodo politiores, ſed quomodo Ethice meliores reddamur diſquirimus. Sed de Converſatione, qvam mixti inter homines degimus ad mutuum uſum. Ut igitur optimos quosque Medicos in auxilium vocare ſolemus, ita etiam hic honeſtos quosque homines, cum quibus una ſis, deligas, & mediis ex illorum conſortio maxime quod animum ſpectat, petitis ſanitatem Tuam moralem promoveri putes.

(t) Dantur nimirum inter morbos humani corporis varii, quibus incautiores vel afflatu aut contactu ſolo inficiuntur. Referunt huc Medici lepram peſtem, cancrum, & id generis alios: quapropter etiam Thyeſtes atrocibus malis infectus omnes ibi jubet ſecedere, nec, ut aliqui ſe tangerent, permittit. Hinc Tullius Tuſc. Quæſt. 3. de eo:

Nolite hoſpites ad me adire: illico iſthic
Ne contagio mea vobis umbrave obſit
Tanta vis ſceleris in corpore hæret.

Pari autem ratione pravo vel unius hominis conſortio ceu veneno infici poſſunt, qui in tanto vitiorum confluxu, quibus ſcatent hominum ſodalitia, cuivis ſine diſcrimine ſe ſocietati immiſcent. Curioſum eſt (ut in re ſeria delectationi quid demus) quod ex regno ut Medici vocant, animali Plinius de torpedine memorat, quia haſta virgave tactus tangentis lacertos vel validiſſimos torpeſcere faciat, pedesque ad curſum alias veloces ſtare pigros & immobiles, vt nulla adeo re magis noceat, quam Contactu. vide ejus Hiſtor. Nat. Lib. 32. Cap. I. Inde Tullius de Natura DEorum Lib. 2. Tutantur ſe, inquit, corpore torpedines. Sed quo nobilior corpore animus eſt, tanto majus merito damnum putatur, ſi con-

Digitized by Google

contacta pravorum conſortiorum torpedine torpor inducitur menti, & langueſcens voluntas impeditur, quo minus in virtutum ſtadio integris viribus procedat. Nec timor inanis eſt, ut enim

- - - - - - - Grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & prurigine porci
Uvaque cotacta livorem ducit ab uva. Juv. Satyr. 2.

ita vel unius pravo conſortio optima quæque indoles corrumpi facile poteſt. Quod quo minus fiat, prohibebit honeſta cum iis conſuetudo, qui moribus probati, & ab hac ipſo vitiorum contagio longe remoti ſunt. Appoſitiſſime huc Seneca: Serpunt vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Itaque ut in peſtilentia cavendum eſt, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipſo laborabimus, ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos aſſumamus. Vide illum de Tranquill. Animi C. VII.

(u) Varia quippe a variis objici poſſent, quæ de voluntatis medela ſollicitum ab ineunda cum aliis conſuetudine avocare poſſent. Spectant huc argumenta, quæ a periculoſa peccandi occaſione, ab autoritate aliorum, a ſcandalis ex conſortio promanantibus & id generis aliis depromuntur, ſed ſuperſedere iis refutandis poſſumus. Fecit enim illud ſupra laud. Guazzus Diſſert. I. Tractatus ſui de Converſat. Notandum inſuper hoc, quod, cum de honeſta hic Converſatione ſermo ſit, eo ipſo autores ſvaſoreſque ſimus, ut eos adſciſcamus ſodales, a quibus ob virtutis, quam colunt, ſtudium nihil labis aut maculæ metuendum eſt. At regeris forte, nullam aut ullibi ſocietatem eſſe, quæ ab omnibus vitiis ſit immunis, aut forte fortuna incidere parum firmatos in ſodalitia poſſe, quibus inficiantur. Reſpondemus: Recte igitur eo nomine præmiſſa a nobis ſollicita educatio eſt, qua virtutum ſtudia tenellis mentibus inſtillantur. Accedunt prudentiæ præcepta, quibus, ne pravis aliorum moribus corrumpantur, cavere diſcent. Sic præmuniti contra malorum ſeductiones erunt, ſi vero, quod vix evitari ſemper poterit, inciderint in prava conſortia, tanto major eorum virtus erit ac fortitudo. Illud ipſum majori laude dignum, exemplis flagitioſorum & illecebris irritari, neque tamen ad paria allici: ſicut hæc demum vera puri erga DEum amoris natura ac indoles eſt, data ab eo arbitrii libertate ad vitia non abuti, ſed in media peccandi occaſione turpia averſari.

(v) Sicut Ethica a quibusdam non incongrue vocatur Prudentia Morum: ita etiam τὸ prudenter converſari Moralis doctrina ſibi vendicat. Hæc igitur Converſandi prudentia ut rite inſtituatur, obſeruandum eſt I. Recte eos judicare, qui notitiam ſui ipſius atque aliorum, cum quibus una eſſe volumus, utramque hic paginam facere ſtatuunt. Illam enim quod attinet, timendum certe, ne ſua quis culpa in converſatione impingat, qui omnes ſuæ ipſius voluntatis morbos non antea exploratos habuerit. Et quomodo honeſtos ad imitandum tibi cum fructu propones, niſi prius rite cognoveris, in quibus tua indoles ab illorum indole differat. Perſcrutanda igitur mens eſt, & inquirendum, num turpis

avaritia,

Digitized by Google

avaritia, an fœda voluptas, an vana ambitio primas penes te partes occupet. Tum vero non ſubſiſtendum, ſed quantum fieri poteſt, alii quoque cum quibus frequenter eſſe, diſcupis, cognoſcendi ſunt. De ſignis ex Phyſiognomia petitis hic diſſerere nihil attinet, cui nonnulli multum in cognoſcenda aliorum indole, ſi ita placet, adſcribant. Vide quæ de arte hàc στοχαστικῇ ſcripſit Scipio Claramont. in Libro, de Conjectandis latentis animi affectibus, Cap. V. VI. VII. Dantur alia quoque κριτήρια, quæ dominantem alterius affectum haud obſcure, produnt. Ita nil niſi nummos & lucra loqui, nullâ re magis, quam opum poſſeſſione, amiſſarum jactura affici, nemini, quam lucelli cujusdam ereptori vehementius ſuccenſere &c. ſunt dominantis avaritiæ affectus indicia. Jam avarus e.g. ex cupidine lucri, quod ab alio ſibi detractum iri metuit, invidioſus & calumniator eſſe ſolet. Hæc igitur noſſe juvabit, cum prudentius ei occurrere haut poſſis, quam ſi ſpectata vitæ innocentia convicia ejus eludas. Patet hoc eadem ratione in voluptuoſo. Hunc amor erga alios apertum vulgo reddit atque loquacem. Hujus ergo notitia tuis pariter commodis in Converſatione ita inſerviet, ut tua ipſi arcana committere verearis. II. Obſerva, fugere nos oportere pravos, quos tales eſſe, exploratum habemus. Non enim peſtis magis corrumpendo corpori eſt, quam illi animo, & facile contagio pravorum nos inficit. vid. Lipſ. Epiſt. LXLIIX. integra. Quod ergo medelæ voluntatis aperte adverſatur, fugiendum eſt, ſicut Medici incentiva lue infectis ſe adjungere vetant. Verum dantur homines adhuc periculoſiores, quos fugere hic oportet, nimirum adulatores. Hi enim æque ac illi qui corpore ægrotis levitatem morbi perſuadent, animo ægris admodum noxii ſunt. Quomodo enim ſerio ac ſollicite voluntati corruptæ medeberis, ſi ſanum te eſſe credas. Opportune hic incidit, quod in hanc ſententiam Cicero Officiorum Cap. XXV. Ne aſſentatoribus, inquit, patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus: in quo falli facile eſt. Aliud autem eſt, ſorte fortuna in ejusmodi ſocios incidiſſe, tum enim quomodo cautior evadas, ab illis diſces. Imitaberis enim hic etiam Medicos, qui cum ægrotis ſæpe converſantur, nec tamen inficiuntur. Ut vero evadas melior, cum honeſtis frequenter eſto, iis præcipue, quos tuis vitiis omnium maxime exoſos intellexeris. Sic ſi eg. ad voluptatem bacchicam ſis propenſus, temperantes, ſi ad veneream, caſtos, ſi ad prodigalitatem perſimoniæ ſtudentes ſocios eligas. Ita ſenſim ſenſimque contrarios aſſumendo habitus ægram voluntatem ſanabis, ſicut contra cum vitioſis vivendo morbos animi nutriturus ſis.

(w) Addendum hoc ideo erat, ut oſtenderetur, honeſta cum aliis converſatione parum effectum iri, niſi ſerium proborum exempla ſequendi ſtudium accedat. Quantum imitatio ad propenſiones bonas corroborandas poſſit, Ethnicorum non ignorarunt philoſophi, qui ad virtutem parandam nihil ea efficacius eſſe, judicarunt. Spectat huc M. Aurelii Antonini Imperatoris & philoſophi exemplum, qui Lib. I. de ſe ipſo ad ſe ipſum §. 1. ſqq. diligenter eos recenſet, quos in ſingulis fere virtutum generibus imitatus ſit. Quod igitur hi ſanandæ voluntatis ergo non ſine fructu adhibuerunt, idem unicuique in honeſta converſatione merito commendatur.

(x) Quam multiplici ratione hæc ægra voluntatis remedia, quæ honeſta Converſatio præbet, ſeſe exerant, per ſe unusquisque intelligit. Legi interea in ſubſidium meretur ſupra laudatus Guazz. in Diſſert. III. de Converſat. ubi remedium inprimis philavtiæ operoſe deducit. Sicut igitur hæc vitiorum, quod ſupra annotavimus, cauſa eſt, ita facile patet, quid ægrotus cauſa morborum ſanata de ſanitate ſua morali ſeu emendatione voluntatis ægræ quoad res naturales ſperare queat. Aſſentient igitur omnes, quod e re ſua eſt, gnari, verbis Celeb. quondam Röhrenſei, quibus de medela hac honeſtæ converſationis a nobis dicta uno quaſi conſpectu ſiſtit: proponamus, inquit, nobis exempla hominum bene agentium, & aliquem virum bonum nobis eligamus, ac ſemper ante oculos habeamus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Sed & illos nobis adſciſcamus ſodales, qui moribus ſunt quam probatiſſimis & a quibus meliores fieri queamus. Vid. ejus Prudent. Moral. Parte I. Cap. V. §. XIX ſeqq.

§. V.

Reſtat poſtrema tandem ægræ voluntatis medela ſincera nimirum Meditatio (y), quæ in anteceſſum utiliſſima quæque contra corruptionem conſilia exhibet (z). Sed ſi dicendum quod res eſt, hæc efficient parum, niſi intellectus ſuis antea præjudiciis (aa) repurgetur, ulteriusve, quantum fieri poteſt ad virtutem erudiatur (bb). Etenim tum demum, ubi medela intellectus voluntatis emendationi præmiſſa (cc) ſincero ſerioque animo agis (dd), de ipſa ægræ voluntatis medicina non dubitandum.

(y) Meditatio hic nobis nihil aliud eſt, quam habitus intellectus practici, quo cum voluntatis, tum aliorum quoque extra ſe poſitorum examen inſtituit, ut illa ægritudine morali medelarumque ſibi neceſſitate objecta tanto acrius ad ethicæ ſanitatis & virtutis ſtudium excitetur. Non igitur eo ſenſu hoc vocabulum hic accipimus, quo Meditatio in Logicis ad remedia ſanandi intellectus relata definitur per accuratam & diligentem cogitationum noſtrarum ad certas leges directionem, ut hac ratione veritatem eo felicius inveſtigemus. Ubi enim diſpar eſt definitio, nec definita certe coincidunt. Differentia autem ſpecifica ad hæc duo potiſſimum redit. I. Ad ſubjectum operationis, quod in meditatione noſtra eſt intellectus practicus, verſans circa res agendas, aut omittendas, atque ad operationem ordinatas, cum e contrario in altera ſit intellectus Theoreticus, qui verſatur circa res nuda & ſimplici contemplatione veri falſique abſolvendas. II. Ad cauſam finalem. Noſtra enim meditatio ultimato tendit ad praxin, altera vero in ſpeculativa rei conſideratione acquieſcit. Nos igitur hic non ſolliciti ſumus de veritate & connexione enunciationis cujusdam ſecundum rei eſſentiam theoretice excutienda, ſed de virtutis ſtudio per notiones ab intellectu practico ſuggeſtas in emendanda voluntate fortiter excitando. Ac eo quidem ſenſu

Digitized by Google

ſenſu ſumit Celeb. D. Buddeus, cum Philoſoph. Practicæ Cap. VI. §. XXV. Gloriæ & honoris vanitatem ſedulo meditandam ſuadet. Nec accipiendum aliter eſt, quando Richerius Meditationem virtutis procreatricem vocat, vide ſupra laud. Obſtet. Animorum C. IX. §. 1. Et quid profecto ad virtutem ingenerandam ſeu voluntatem ſanandam accommodatius eſt: Uti enim Educatio aliorum medelæ ſe permittit, converſatio ex aliorum penu medicinas depromit, ſic Meditatio docet, quomodo ut Medicus aliis, ita tibimet ipſi de medelis proſpicere poſſis.

(z) Si id in anima merito appellatur virtus, quod in corpore ſanitas dicitur, quia ſicut hæc ab humorum temperie, ita illa ab affectuum cum ratione harmonia pendet: de conſiliis certe diſpici meretur, quibus præmunitus, ne ſuccumbas inſultibus affectuum, caveas. Exhibet hæc conſilia Meditatio, quando menti tuæ de voluntatis medela ſerio cogitanti varias notiones offert, quibus rite perpenſis ad ſectandum virtutis ſtudium voluntas accenditur. Jam tria dantur objecta perſonalia, quibus officia debemus, Deus nempe, proximus, ac nos ipſi: Ad hæc tria igitur medelam voluntati admoturo in meditando reſpicere opus eſt. Exordiamur a poſteriori, ubi dirigenda Meditatio eſt I. Ad noſmet ipſos. Pertinet huc Notitia ſui ipſius, quam Ethnicorum philoſophi, omne hic punctum ferre dudum agnoverunt. vid. Celeb. Buddei dicta illuſtriora, ſpeciatim Ethicam Chilonis Lacedæmonii §. 4 ſqq. Et ſane, ſe ipſum ſuosque morbos noſſe, ſpectat quam maxime ad ſcopum noſtrum. Valetudo, ait Cicero, ſuſtentatur notitia ſui corporis, vide Lib. II. Offic. Cap. XXIV. Nos dum de medelis ægræ voluntatis diſſerimus, æque hujus valetudinem notitia ſui multum ſuſtentari cenſemus. Niſi enim morbis te conflictari, ingenue ſerioque agnoſcas, reſpues certe medelam, qua te indigere non arbitraris. Sic idem continget tibi, quod phreneticis, qui ægrotare ſe neſcii etiam in medicum involant, & ſævire ſolent. Cognoſcendum igitur eſt, quonam inprimis morbo ex prava philavtia ceu fonte orto labores, ut tanto intentius eidem ſanando allaborare poſſis. Faciet huc crebriarum tuarum cogitationum, factorum, dictorumque examen, quod Pythagoræis cumprimis in uſu fuiſſe patet ex Jamblich. in vita Pythag. Cap. XXIX. Conf. Huetii Quæſt. Alnet. de Concord. Rationis & fidei Cap. X. Eidem examini aſſuetus cognoſces, num dignum te homine geras, quod inquiſiviſſe commendat Cicero Lib. I. Off. Cap. XXX. ab initio. Boeth. Lib. II. de Conſol. proſa 5. Ut ſcilicet aſtutiam, crudelitatem, laſciviam, quibus vitiis ad vulpium, leonum, porcorumque naturam accedimus, exuas. Cognoſces porro, num juſto res amatas pretio æſtimes, ita ut opum inconſtantiam, voluptatis turpitudinem, honoris denique vanitatem ponderes. Confer teſtimonia veterum huc ſpectantia in laudato Huetio Cap. VIII. XII. & XVI. Cognoſces, num animo a rebus terrenis ac fugacibus avocato ſecundum virtutem vixeris, quod Platoni μελέτη τοῦ θανάτου ſ. meditatio Mortis Philoſophica olim dicebatur, de qua Macrobius in ſomnio Scipionis Lib. I. Cap. XIII. Cognoſces num ad bonum omnia direxeris finem, ita ut e. g. in honoribus, divitiis, voluptatibus tanquam S. B. non acquieveris. Egregie id expreſſit Auguſtinus inter τὸ uti & frui diſtinguendo, quando Lib. I. In Doctrina Chriſtiana Cap. IV. Utendum eſſe, inquit, hoc mundo, non fruendum, quod alii non minus acute eloquuntur, qui illud, quod Medium eſſe debebat, perperam ad finem a nonnullis referri taxant. Sed aſſe-

Digitized by Google

renda hæc tantum paucis erant, cum in deducendis, quæ ad notitiam ſui ejusque fructum ſpectant unus omnium ſufficiat Diod. Tuld. in aureo, ut Morhoff. Polyhiſt. Lib. II. Cap. I. vocat, Tractatu de cognitione ſui. Dirigatur vero etiam Meditatio II. ad ipſum Deum. Sic e. g. perpendatur hic, ſummo illi Numini nos ortum debere & quæ a brutis animantibus nos diſtinguit, rationem; eſſe igitur hominis, ut actiones ſuas ad rectæ rationis dictamen exigat. Perpendantur Dei perfectiones, ex quibus veneratio tanti numinis non poterit non animo ſuboriri. Conf. Lactant. Lib. IV. Div. Inſtit. Cap. III. & IV. ubi & amorem & honorem Deo deberi ex ejusdem perſona prolixe deducit. Quomodo igitur hunc cultum exhibebis illi, niſi præcedat ſenſus, ſummasque Dei perfectiones meditatus antea fueris. Ita mediatio divinæ ultionis ut Valerius Max. de Relig. Lib. I. de Religione, egregie loquitur, gravitate ſupplicii tarditatem compenſantis timorem ejus tibi incutiet. Per conſiderationem omnipræſentiæ ad reverentiam ejus, qui quæ facimus videt, ſtimulaberis. Per contemplationem beneficiorum ad amorem Dei, cujus vi, quo minus male agendo eum offendas, circumſpecte cavebis. Sed dirigenda tandem Meditatio Mentis eſt III. Ad proximum. Etenim hæc etiam ad medelam ægræ voluntatis humanæ inſigniter faciet. Non nullis id patet argumentis. Æqualem tibi alium hominem eſſe mediteris. Largior, non ordine ſemper atque dignitate, tamen natura. vid. Sam. Puffend. in Libro de J. N. & Gentium Cap. III. Competit æque illi ac tibi idem in hoc mundo ortus, eodem modo adoleſcit, nutritur, eadem ratione præditus eſt, tuum æque ac illius corpus fragile eſt, entisque ſuperioris arbitrio obnoxium. Medebitur hoc inſigni voluntatis morbo ſuperbiæ, ne ſuperciliofo faſtu contemnas, quem natura tibi æqualem fecit. Sic ſi præter ſocialitatem porro mediteris communem, quæ inter te ac proximum intercedit, cognationem, hoc ipſo libidini alios lædendi medeberis. Quis enim ſi ingenuæ mentis eſt, tunc ſibi non caveat, ne vel in corpore per homicidium atque plagas, vel in bonis per furta atque rapinas, vel in fama per calumnias alteri noceat, maxime ſi illud: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, menti ejus perpetuo obverſetur. Ex his allatis, quorum noſtra ipſius meditatio, ſive ante actiones morales, ſive poſt easdem inſtituta plura ſuggeret, unicuique apparet, quo jure inter ægræ voluntatis humanæ medelas meditatio a nobis relata ſit.

(aa) Præjudicia hic merito afferenda erant in medium, cum dici non poſſint, quantum hæc ægræ voluntatis medelæ adverſentur. Quamdiu enim his præpediti ſumus, tamdui aut tardiores ad ſanandam erimus voluntatem, quando præjudicata opinione, nos non egere medelis, laboramus, aut, ſi etiam manum tanto operi admoverimus, aliis præconceptis opinionibus faſcinati intacta adhuc pleraque relinquemus. Sequemur hac ratione Medicos, qui mederi aliis ſatagunt, ſed infeliciter, dum ſibimetipſis nimium confiſi ſufficere putant, ſi quadantenus æger valetudini reſtitutus ſit. Tollantur itaque omnibus poſtpoſitis præjudicia: Quis vero non videt, practica ut vocantur, huc pertinere. Hæc enim hominis φιλαυτȣ̃ præconceptæ opiniones ſunt, quas ante debitum rei examen pro norma & fundamento actionum ſuarum aut omittendarum aut ſuſcipiendarum habet. Vident ex ipſa definitione omnes, uti philavtiam, ita hæc etiam præjudicia non tam intellectus (quanquam iſte non excludatur) ſed ægræ potius, in

in qua contemplanda verſamur, voluntatis eſſe. Neque tamen quod obiter annotamus, D. Buddeo omnes aſſentient, in Element. Philoſ. Inſtr. Cap. II. §. XXXI. aſſerenti, Cauſas præjudiciorum NB. omnium non alibi quam in ipſa voluntate quærendas eſſe. Quis enim dubitet, præjudicium præcipitantiæ non ſæpius ex ignorantia puræ negationis oriri, aut (ſi exemplum ex S. S. petere liceat.) Quis lati illius a ſuperſtitioſis Melitenſibus de Paulo a vipera tacto Act. XXIIX. judicii cauſam non in intellectu potius erroneo, quam prava voluntate quærendam putet? Cæterum ambabus accipimus, voluntatis quæ huc pertinent, præjudicia ex tribus vitiis capitalibus ambitione, voluptate, & avaritia proficiſci. Applicemus iſta ad ſcopum noſtrum, ut clare appareat, quam neceſſarium ſit, præjudicia prius ſuſtuliſſe, quam ægræ voluntati cum fructu mederi velis. Ponderemus I. præjudicia ex ambitione profecta, ad quæ fere ſequentia pertinent, quando quis e.g. arbitratur: ſe honoris ergo levium quarumcunque injuriarum ultionem prorogare haud poſſe, aliorum ſe monitis haud egere, dum quid ſuarum partium ſit, probe norit, ſe tam circumſpecte vivere, ut nemo quicquam reprehenſione dignum deprehendat, ſe iis jamjam viribus eſſe inſtructum ut aliorum medelis non indigeat, ſibi ſoli felicem ſuſceptarum rerum eventum tribuendum eſſe, par pari inimicis referre non eſſe illicitum &c. Certe his præjudiciis laborantem fruſtra manſuetudinis, modeſtiæ, humanæ imbecillitatis, patientiæque monebis. Nec mirandum, ſurdo te fabulam dicturum, cum is, quem meliora perpendere jubes, recte ſe in omnibus agere credat. II. Præjudicia ex voluptate orta. Huc ſpectat, quando quis e.g. arbitratur: ſui ipſius amorem homini ingeneratum eſſe, corpori itaque ac genio indulgere haud eſſe illicitum, ipſo ad libidinem ſe temperamento trahi, ingurgitationem levis culpæ loco eſſe habendam, Naturæ illud eſſe conveniens, voluptatem, cujus ſtimulos ſentias, expleviſſe. Si vel centies huic homini temperantiæ ac caſtitatis præcepta inculces, ſi quid philavtia ordinata exigat, quomodo temperamenti inclinatio a coactione, natura corrupta a ſana ratione diſtinguenda ſint, meditandum ipſi propones, parum efficies, quamdiu pravus appetitus in ejusmodi effugiis voluptatis præſidia tuetur. III. Præjudicia ex avaritia orta. Spectat huc, quando quis e.g. putat: ſufficere ad amorem proximi, ſi ſaltem illi damnum non infligatur, Duriter vivendum nam naturam paucis contentam eſſe. In longitudinem eſſe conſulendum, hinc quoquo modo corradendas eſſe opes, parſimoniam eleëmoſynas non permittere, ſe non teneri ad opem afflicto ferendam cum commodius id ditiores facere poſſint. Pari ratione ejusmodi homini debitam corporis curam, liberalitatem, miſericordiam fruſtra inculcabis, niſi ſublatis antea præjudiciis eo adducere queas, ut ſaniora, quæ ad oppoſitam vitio virtutem ducunt, præcepta admittat.

(bb) Sic erudiri e.g. ad virtutem intellectus poteſt per præcepta, quæ juſtitiæ regulas præſcribunt, adductis ſubinde rationibus, quæ hominem ad recte agendum movent. Vide Senecam Epiſt. XCV. ad Lucilium, ubi expreſſe Philoſophiæ meminit Præceptivæ, eamque Activam vocat, quia nimirum per præcepta ad actionem virtutis nos perducat. Confer. Guil. Mechovii Librum de officiis ac Moribus hominum recta ratione ac Lege Naturæ formandis, in præfatione. Spectant igitur huc omnia, quæ in Doctrina de J. N. ſeu ſi cum recentioribus dicere malis, Juſtitia pertractari ſolent. Sed eruditur quoque ad virtutem

tem Intellectus Noſter, Lectione Librorum Moralium, quales inter veteres ſunt Cicero de Officiis, laudatus Seneca, Epicteti Enchiridion, Antonini Philoſophi Liber ad ſe ipſum, Maximi Tyrii Diſſertationes, quæ ſane Ethnicorum ſcripta externæ honeſtati morum ad rectæ rationis ductum formandæ apprime inſervirent, niſi nos ad fontes ſalubriores ablegati eſſemus. Nec prætereundus eſt Val. Maximus, qui collegit hominum virtuti deditorum exempla: Namque his etiam ad paria erudimur, & ut omnes Moralium ſcriptores conſentiunt, ad id ipſum, quod Meditando rectum cognovimus, alacriter exequendum incitamur. Accedit tandem pœnarum pariter ac præmiorum contemplatio, quorum illæ legentis animo vitiorum averſationem, hæc recte agendi ſtudium inſtillant utraque autem tali ratione ad meliora, quam quæ philavtia pravis opinionibus innixa ſuadet, erudiunt intellectum.

(cc) Quam diverſo armorum apparatu inter theologos hac de re fuerit decertatum, nemini, niſi omnium rerum ignaro incognitum eſſe poteſt. Spectant huc, quæ ex una parte ſcripſerunt Fridlibius, Autor Libelli und Recht, Keslerus, Lyſius aliique, quibus ex noſtra parte ſe oppoſuerunt Fecht, Rumpæus Grapius, præcipue vero Celeb. D. Ezzardi in Erörterung der Frage: Ob die wahre Beſſerung vom Verſtande, oder vom Willen angehe, Conſ. Venerab. D. Schroëri Præceptoris Fautoriſque mei omni pietate colendi Diſſert. de gratioſæ illuminationis ſubjecto Wittenb. 1723. hab. Theſi Vta. Sed nos non argumentis ex revelatione ſed ex ratione petitis hic militabimus. Ac primo quidem graviter eos hallucinari arbitramur, qui non intellectum, ſed voluntatem judicare exiſtimant, quorum in cenſum veniunt Malebranch. Lib. I. de inquiſitione veri Cap. II. §. 7. Joh. Noriſius in Conſid. Rationis & fidei p. 30. ſqq. & Mundi Intellectu P. II. quorum ſententiam ſolidiſſime refutat ſumme Venerab. D. Joh. Schmidius in Diſſert. de judicio ad intellectum non ad voluntatem pertinente hic loci An. 1703. habita. Voluntas quippe non judicat, nec judicare poteſt, ſed appetit bonum, ſive ὄντως tale, ſive ſub ratione boni φαινομένως tale, unde a Philoſophis recte facultas boniformis appellatur. Quomodo vero poteſt appetere, aut averſari, niſi præcedat antea judicium intellectus, qui voluntati objectum amabile repræſentaverit, & quæ in ipſo ſit bonitatis ratio, demonſtraverit. Unde parum ſuffragii meretur, quod King in Origine Mali Cap. V. dicit: Nos nunquam appetere res, quod bonæ videntur, ſed bonas videri, quoniam appetimus. Quem ipſa peccati Originis, ut vocant Theologi, Originantis ſ. a Protoplaſtis commiſſi commemoratio refutat. Cur enim Eva appetebat fructum? Annon ideo, quod bonum videbatur, de eo veſci, uti Textus Contextuſque ſat abunde demonſtrant, ut proinde initium primi peccati, quod omnes homines veneni inſtar corrupit, in ipſo intellectu quærendum ſit. Quid vero aliud inde patet, quam intellectus medelam ante omnia attendendam eſſe, ſi ægræ etiam voluntati medicinam afferre ſatagis. Habemus quidem hac in parte diſſentientem D. Thomaſium, qui hanc paſſim Helenam exornat, inprimis vero, in Fundament. J. N. & Gentium Lib. I. Cap. I. §. 46. ubi iisdem memorati Kingii verbis utitur, & tantum abeſſe putat, ut in appetendo bono & fugiendo malo dirigatur voluntas ab intellectu, ut hic potius ſemper voluntatis ſubſit impulſui. Quod tanto magis mirandum, cum antea intellectus medelam medicinæ voluntatis

præmit-

Digitized by Google

præmittendam eſſe, expreſſe ſtatuerit. Vide ejus programma von den Mängeln der Ariſtoteliſchen Ethic und von andern das Jus Publicum betreffenden Sachen p. 71. Verum non autoritatis ſed veritatis tribunal venerantibus noſtra arridebit ſententia. Quid enim ſanæ Philoſophiæ convenientius eſt, quam intellectum principium eſſe actionum noſtrorum directivum, voluntatem vero effectivum, unde Celeb. Puffend. actiones humanæ dicuntur actiones, quæ prælucente fiunt intellectu, ac decernente voluntate. vid. Lib. I. de Officiis Cap. I. §. 2. Quomodo enim ut res ad ſcopum noſtrum accommodemus, medelas admovebit corpori æger, niſi agnoverit antea naturam morbi, & quid ſanitati eximio in his terris bono conducat, cognoverit. Sic ſi vel ad te ipſum attendas, experientia te docebit, antequam hanc illamve honeſtam actionem rejecta turpi elegeris, præluxiſſe tibi ad eam ſuſcipiendam intellectum. Liceat rem exemplo illuſtrare ad medelas ægræ voluntatis humanæ inprimis accommodato. Eligis e. g. temperantiam ubi apta ebrioſitatis erat occaſio. Annon hic concurrebat antea intellectus, qui I. objectum ebrioſitatis & temperantiæ cognoſcebat. Nihil enim eſt volitum, quod non prius præcognitum. Nam ignoti nulla cupido eſt. Cognoſcebas igitur ante omnia, ebrioſitatem eſſe vitium, quo quis in nimio potus uſu excedit, ſicut e contrario ſobrietas eſt virtus legi Naturæ conveniens, quæ ſervat in eo modum. Judicabat II. idem intellectus, turpe id homini eſſe, a quo vel animantia bruta abhorrent, aut etiam valetudini vim inſerri, quam tamen circumſpecte tueri J. N. præſcribit. Perſuadebat denique III. voluntati eamque vi oppoſitorum ad ſobrie vivendum, quod & honeſtum & ſanitati conveniens eſt, movebat. Sequitur tum demum electio non reluctantis intellectui voluntatis, quæ ratione ſana, qua in actu primo gaudebat, in actu etiam quod par erat, ſecundo utitur. Egregie in hanc rem Seneca: Actio recta non erit, niſi recta fuerit voluntas. Ab hac enim eſt actio. Rurſus voluntas non erit recta, niſi habitus animi rectus fuerit. Ab hoc enim eſt voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo niſi totius vitæ leges perceperit, & quid de quoque judicandum ſit, exegerit, niſi res ad verum redegerit. vide Epiſt. XCV. ad Lucil. p. m. 793. Quis exinde non videt ab eo inchoandam eſſe medelam, quod morborum in voluntate eſt cauſa, nempe ab intellectu. Nec lucrari nobis quicquam videntur, qui objiciunt, intellectum tamen non poſſe ſe ad intelligendum movere, niſi prius motus fuerit a voluntate, ut ſcilicet aciem intentionis ad res cognoſcendas dirigat. Nam *Reſp.* Sic imperat quidem intellectui voluntas qua exercitium ut rem contempletur, non vero qua ſpecificationem, ut rem aliter atque aliter pro voluntatis arbitrio ſibi concipiat. Jam vero non ad prius, ubi voluntas ad intellectum mere antecedenter & præſuppoſitive ſe habet, ſed ad poſterius illud omne redit, quod a vitio aut virtute intellectus prout nempe hic aut falſo, aut recte rem contemplatus ſit, ad ipſam voluntatem derivatur. Sed obj. forte: Affectus vero nebulam intellectui offundunt, quo minus rite cognoſcat. *Reſp.* Tunc non amplius erit rectus, ſed erroneus. Hoc tamen non obſtante aſſerimus, medelam tamen ab intellectu inchoandam eſſe. Cum enim ex reliquiis divinæ imaginis aliqua nobis intellectus in Naturalibus Lux remanſerit, vi reſidui hujus Luminis ſaniora amplectetur intellectus, meliora depoſitis affectibus ipſa voluntas. Atque inde eo clarius patet connexio, quando antea de præjudiciis removendis, nunc vero de intellectu ante voluntatem ſanando diſceptamus.

Tanto

Digitized by Google

(dd) Tanto circumſpectius id addendum denique erat, quanto certius eſt, hoc omiſſo actum agere, qui voluntati ægræ cum fructu mederi conantur. Utut enim intellectus beneficio verum cognoveris, utut voluntas ab hoc ad appetendum vere bonum mota, imo ad medelas quas meditatio tibi indicavit, applicandas quoddammodo perducta fuerit, tamen tibi conſules certe parum, niſi ſerio ſtudioſeque negotium obeas. Requiritur itaque hic, ut (1) propoſitum bonum conſtanter exequendi virtutes, atque ita ſanitatem moralem promovendi ſerium habeas. Quod enim corpore ægris factu conſultum eſt, ut ab omni, quod valetudini ſuæ nocuerat, ſedulo in poſterum ſibi cavere decernant, illud etiam tibi, animi & ſpeciatim, voluntatis medelam ſuſcipienti merito commendatur. (2) Ut quam primum affectus in te perverſi ad mala pruritum ſentis, ratione ad meliora voluntatem flectas. (3) ut occaſionem vitia perpetrandi & quod inde ſequitur, otium fugias. Quam neceſſarium id ſit, intellexit optime, qui monet: vita occaſionem peccandi, & vitabis ipſum peccatum. Qui enim ab irritamentis affectuum, qualia frequentiſſime otioſo objiciuntur, quam cautiſſime ſibi non proſpicit, is (maxime nondum firmatus) cum iis eſt comparandus, qui valetudine nondum corroborata aëris libertati imprudenter ſeſe permittunt. (4) Ut in ſananda voluntate indies quantum in te eſt, conſtantius pergas. Appoſitiſſime ad rem ſunt verba Celeb. D. Buddei, qui ita: Quemadmodum non uno impetu morbi præſertim pertinaciores pelluntur, ſed ſæpius iteranda medicamina, quibus vis eorum infringatur, ut ita ſenſim ſanitas eorum recuperetur: ita etiam non uno actu & impetu quodam voluntas emendatur, ſed diu multumque in ea corrigenda eſt elaborandum. Vide ejus Phil. Pract. C. VI. §. XXXIV.

§. VI.

Declaratis ita palmariis ægræ voluntatis humanæ medelis philoſophice conſideratis, coronis opellæ imponenda eſſet, niſi paucis medelarum Philoſophicarum à Theologicis (ee) differentia adhuc exponenda veniret. Differunt itaque 1) Cauſa Efficiente (ff), 2) Principio cognoſcendi (gg), 3) Subjecto operationis (hh), 4) Objecto (ii), 5) Forma (kk), 6) Fine (ll), 7) Effectu (mm). Unde quantum Medelis Philoſophicis prudenter tribui debeat, facile judicatur.

(ee) Quod Theologia cum Medicina non uno nomine comparari poſſit, ii intellexere, qui Semioticam Spiritualem ediderunt, quorſum ſpectant Gisberti Voëtii Theol. Ultrajectini Aſcetica ſ. Exercitia pietatis Semioticæ, quæ vid. Cap. XIX. p. 452. & qui ad omnes Medicorum partes Theologiam applicat Langius Theol. Altorff. in Inſtit. Paſtoral. ab eodem ad modum Inſtit. Medicar. 1707. editis, caute tamen in quibusdam legendis. Scilicet ut Medicus Corporis tria ſemper ante oculos habet, Finem, ſubjectum, & Media, ita etiam Theologus ſeu Medicus animæ. Finem, ut ad ſanitatem ſeu ſalutem ſpiritualem homines perducat.

Digitized by Google

perducat. Subjectum quod eſt homo ſpiritualiter ægrotans, peccatique morbo corruptus, qualis e. g. ſiſtitur Eſ. I. v. 5. 6. Media ſeu Medicinæ Spirituales, quibus intentum finem obtineat, quales e. g. Paulus ſuo Tito commendat Cap. II. v. 1. & 2, ubi notanter ὑγιαινούσῃ διδασκαλίαν ceu medium & ὑγιαίνοντας τῇ πίστει ceu finem componit. Et ſane fatemur, ipſam Theologiam tali ratione non incommode cum Medicina conferri ut enim Medicina accurate loquendo non eſt habitus patientis, (niſi per accidens) ſed Medici, nec primario eſt doctrina perveniendi, ſed perducendi ad ſanitatem: Sic Theologia non eſt habitus patientis vel ſanandi auditoris, (niſi per accidens) ſed Theologi & Doctoris, adeoque primario non eſt doctrina perveniendi, ſed perducendi ad ſanitatem vel ſalutem ſpiritualem. Confer Calovii ſcripta philoſ. p. m. 1144. Verum licet Theologia ipſa primario ſit docentis, medelæ tamen Theologicæ eo nomine omnes concernunt, quod omnibus a DEo injunctum eſt, ut animæ ſuæ rationem habeant, & ſpirituales ægræ voluntatis medelas ſerio applicent. Ut vero harum a Philoſophicis differentia tanto evidentius pateat, præmittimus ante omnia definitionem, ſecundum quam Medicamentum Spirituale nobis eſt res divinitus ordinata, vim habens a DEO collatam, in hominis animam ejusque facultates ſic operandi, ut homo e ſtatu miſeriæ ſpiritualis ereptus ad veram animæ ſuæ ſanitatem, modo ne ſibimet ipſi deſit, perducatur. Dicimus rem ad ſanitatem ſpiritualem divinitus ordinatam, per quam Sacramento initiationis, quod quam maxime huc ſpectat, præſuppoſito, intelligimus verbum DEI. Eſt enim hoc verum ac ſpirituale pharmacum, quod Paulus Tit. II. v. 8. λόγον ὑγιῆ appellat. Sanat hoc juſto ordine præmiſſo voluntatem ægram ingenerando fidem in Chriſto, per cujus vulnera ſanati ſumus Eſ. LIII. v. 5. viventem, per charitatem vero operoſam, ita ut quemadmodum anima vitæ principium, reſpiratio vero & motus vitalis ſignum vivi corporis eſt, ita etiam is ſpiritualiter vivere merito dicatur, qui vera fide præditus eſt, quæ in juſta ſanctarum operationum perfectione ſeſe exerit. En ſanitatem ſpiritualem mirum quantum a ſanitate illa morali diverſam! Adjecimus vero non ſine cauſa: Modo ne ſibimet ipſi deſit. Licet enim homo viribus naturalibus ad ſanitatem ſpiritualem nilquicquam conferre poſſit, tamen impedire eandem multis modis poteſt, e. g. cogitationibus a Deo averſis, mundanæque vanitati intentis, inſtituto cum malis conſortio &c. unde e contrario patet, quo jure a Celeb. Buddeo meditatio & chriſtiana converſatio adjumentis vitæ ſpiritualis incrementum promovendi accenſeatur. Vide ejus Theol. Moral. Cap. V. §. XVII. & XLI.

(ff) Expoſito itaque, quod neceſſarium erat, quid per ſanitatem & medicinam ſpiritualem intelligatur, ad ipſas medelarum Theologicarum a philoſophicis differentias recta procedimus. Ac prima quidem nobis depromitur a cauſa efficiente, quæ reſpectu harum eſt natura, reſpectu illarum vero eſt gratia. Scilicet gentiles ex lumine veri, poſt lapſum in intellectu, ſemineque boni in voluntate adhuc reſiduo appetitum in nonnullis ſenſitivum ſanare, & ne in externa crimina erumpat, coercere quodammodo poterant. Relictum iis erat, cooperante generali Dei concurſu externam exercere juſtitiam, & ſecundum naturæ legem cordibus inſcriptam crebrioribus affectuum contra rectam rationem inſurgentium inſultibus mederi. Notum eſt illud Medeæ apud Ovid. Lib. 7. Metamorph.

- - - - - - - aliudque cupido
Mens aliud ſuadet: Video meliora proboque
Deteriora ſequor.

Ex quo e contrario pateſcit, liberum illi fuiſſe, meliora ſequi, ſi voluiſſet, ſicut omnes Ethnici ſanæ rationis præſcripto obſecuti ſuadentem ſcelera cupidinem comprimere poterant. Unde Cicero: Latrocinari, inquit, fraudare, adulterari re turpe eſt. Nos autem naturam ſequamur. Offic. Cap. XXXV. L. I. Verum medelæ contra Theologicæ e maxime diverſo principio gratia nimirum proficiſcuntur. Sanat hæc ſola ægram voluntatem, & a dominantis peccati morbis, juſto tamen obſervato ordine, liberat. Ita morbum ignorantiæ ſanat intellectum illuminando, ſpiritualis σκληροκαρδίας durum cor conterendo, ἀπιστίας fidem operando &c. Actus hi omnes præcedunt, antequam ſanetur ægra voluntas renovando, & quanquam hic cooperetur homo, nihil tamen nativis ſed dativis omne illud a gratia divina viribus tribuendum eſt, Jer. XVII. 4. Fluit exinde per ſe, quam graviter hic Pelagiani, Semi-pelagiani &c. contra veritatem impingant, quorum palmarius error fuit

Quod ſatis ad propriam poſſit conferre ſalutem
Arbitra libertas, etiamſi gratia deſit.

vide Voſſii Hiſt Pelag. p. 294 ſqq. & inter veteres Auguſt. in Libro de Nat. & G.

(gg) Medelarum quippe Philoſophicarum principium cognoſcendi nihil aliud eſt, quam lex naturæ, de qua Paulus ibi: Gentiles facere φύσει τὰ τοῦ νόμου Rom. II. 14. Hæc cordibus ipſorum inſcripta erat, qua informabantur ad facienda ea vel omittenda, quæ amori Conditoris, proximi, ſuique ipſius aut conveniebant, aut repugnabant. Eſt itaque cognoſcendi illa principium, nam dirigit actus morales, in quantum regula eſt, ex qua vitiorum turpitudo, virtutumque honeſtas perſpicitur. Vellicat deinde & pungit hominem, & quarum neſcio pœnarum metum ſi mala ſit executus, animo incutit. Sed obligat etiam ob id ipſum, quia eſt decretum Numinis: In hoc enim ceu principio ut ſcholæ vocant, eſſendi omnis obligandi vis continetur. Ut enim natura eſſe DEUM omnibus conſtat, ita ex cognita ejuſdem ceu ſummi Legiſlatoris eminentia officia eidem præſtanda fluunt. Verum valeant hæc: de medelis enim Theologicis alia nobis ferenda ſententia eſt. Harum quippe principium cognoſcendi non eſt Lex inſita, ſed verbum nobis divinitus revelatum. Licet enim legi N. fructum pædagogicum, quo ad quærendum veriorem cultum inducit, non denegemus, id tamen non ſecus fit, ac ſi morbus ducit ad Medicum. Ipſa enim ſalutaria ægræ voluntatis ſanandæ remedia non præſcribit. Id autem facit verbum DEI, non immediatum illud & internum, ut vulgo vocant, externo contradiſtinctum, quod omnes, qui Weigelii ſtigma ferunt, amplectuntur, ſed verbum in S. S. divinitus revelatum, tum Legis, tum Evangelii. Illud ut renovationis, quæ dominio peccatorum medetur, adæquata norma, hoc vero, dum vires ad ſanitatem ſpiritualem obtinendam, tuendamque largitur. Conquiſitis hæc deducere argumentis potuiſſemus, niſi Theologis relinquenda eſſent, in quorum caſtra non

ex

Digitized by Google

ex inſtituto, ſed accidenti divertendum erat. Hic enim non prolixius omnia pertractare, ſed id tamen neceſſarium erat, ut nervoſe utrarumque medelarum differentia commonſtretur.

(hh) Progredimur itaque ad ſubjectum operationis utrinque conſiderandum. Hoc non commodius, quam ſecundum ſtatus conſiderari poſſe putamus. Statuum vero hic potiſſimum tres contemplandi ſunt. I. Status beſtialis II. ſtatus Humanus. III. Chriſtianus, quam diſtinctionem inter Philoſophos paſſim recentiores obviam noſtram hic in actu exercito faciamus. Status beſtialis vero ut conſtat, nihil aliud eſt, quam ubi homo ratione quidem gaudet in actu primo, verum ita vivit, ac ſi eadem deſtitutus foret, dum fræna laxat pruritui appetitus, atque ut Seneca loquitur, non qua eundum eſt, tendit, ſed qua itur more pecudum gregem antecedentem ſequentium. Status humanus eſt eorum, qui educatione, honeſta converſatione, ſaniorisque philoſophiæ placitis usque adeo emendati ſunt, ut enormibus ſubinde vitiis medeantur, externamque honeſtatem ſecundum legem N. exerceant. Status denique Chriſtianus eſt illorum, qui regenerati, donisque Sp. S. colluſtrati veram fidem fructibus bonorum operum monſtrant. His præſuppoſitis medelarum Philoſophicarum a Theologicis differentia in aprico locatur. Illarum quippe ſubjectum operationis eſt homo e ſtatu beſtiali in humanum reducendus, quorſum v. c. Sardanapali, Neronis aliorumque exempla pertinent. Harum vero ſubjectum eſt homo e ſtatu humano in Chriſtianum transferendus, quale quid contigit Cornelio Act. X. Ut itaque concedendum omnino eſt, inter Ethnicos honeſtiores & inter Ethnicos vitiis prorſus immerſos nonnihil diſcriminis intercedere, ita multo magis dicendum, cujuscunque Ethnici ſtatum toto cœlo a ſtatu Chriſtiano diverſum eſſe.

(ii) Venimus nunc ad objectum ſeu ut alii vocant, Materiam circa quam. Namque hic etiam medelarum Philoſophicarum a Theologicis ſe differentia offert. Medelæ quippe Philoſophicæ circa actus fere externos tantum ſubſiſtunt, quibus Ethnici, quo minus ab appetitu ſenſitivo ad ehormia ſcelera abriperentur, ſibi cavebant. Intus vero invidia, voluptas, ambitio & id generis vitia dominabantur. Conſentientem habemus Celeb. D. Buddeum Theol. Moral. Cap. V. §. 1. qui poſtquam ἀσκήσεις veterum philoſophorum ad impetuoſorum affectuum remedia comparatas commemoraſſet, ita tandem concludit: Harum autem exercitationum licet vis quædam ſit & efficacia ad impetum pravorum affectuum infringendum, ne in externa crimina temere erumpant: ad curandos tamen animi morbos & latitantia vitia ſananda minime ſufficiunt. Aliter vero res comparata eſt cum medelis ſpiritualibus, quæ omnino ad actus internos & externos ſimul ſe extendunt. Referendus huc præter bona, quæ in oculos incurrunt, opera, internus ſummi Numinis cultus, internus proximi amor, interna reſpectu ſui ipſius modeſtia, quæ omnia ex vera fide interiori proficiſcuntur. Ut igitur optimus quisque Medicus inteſtino ulcere ægrum ſanaturus non tam emplaſtra externa admovere, quam internum illud malum per medicamina tollere ſatagit: Ita etiam medelæ Theologicæ non ad externos tantum, ſed potiſſimum etiam internos

Digitized by Google

animæ morbos ſanandos tendunt. Quorſum omnia illa dicta pertinent, in quibus de corde divinitus aperto, contrito, purificato, ſanatoque in S. S. legimus.

(kk) Neque cauſa hic formalis prætereunda erat in diſcrimine medelarum Philoſophicarum a theologicis commonſtrando. Forma dat eſſe rei, requirenti itaque, in quonam priores conſiſtant, reſpondendum: In convenientia cum recta ratione ſeu Lege Naturæ hominum mentibus implantata. Hæc enim ita mederi voluntatis morbo dictitat, ut honeſtum in affectibus & actionibus ſuis pro perſonarum, temporum, locorum, cæterarumque circumſtantiarum ratione ubique obſervet. Unde quod obiter notandum, facile apparet, Ariſtotelem minus accurate ipſam *μεσότητα* ſ. auream, ut Horatius vocat, mediocritatem pro forma hic habuiſſe. Leg. B. Meiſneri Philoſoph. Sobria Cap. II Quæſt. II. qui prolixe ſatis & ſolide *ὀρθότητα* ſ. convenientiam cum lege Naturæ defendit, & inter alia eleganter notat, Hebræos hinc virtutem מִדָּה appellare, quod haut obſcure ſignificent, omnem eſſentiam ejus in commenſuratione ad normam ſuam, quæ lex eſt, conſiſtere. Sed ſi veram contra medelarum ſpiritualium formam contemplemur, non alia hæc erit, quam intimus fidei & bonorum operum nexus. Tantum enim abeſt, ut hunc ſeparemus, aut ſaltem cum nonnullis amorem eſſe fundamentum fidei ſtatuamus, ut potius opera vere bona eſſe, quæ fidem non pro fundamento agnoſcunt, pernegemus. Sicut enim, ut ſupra notatum, renovatio peccati dominantis morbo medetur, ita fides animat quaſi, quicquid bene agis. Et eſto, ut perfecte in hac vita perverſæ carni ſubinde ad peccata ſtimulanti mederi nequeas, illud tamen, quicquid te deficit, Medici ſpiritualis merita reddunt perfectum, a qua perfectione medelas philoſophicas remotas longiſſime eſſe, nemo negaverit.

(ll) Sed delabimur nunc ad palmariam quandam medelarum ab utraque parte differentiam, reſpectu nimirum Finis. Qui quidem, ſi dicendum quod res eſt, in concreto ſpectatus nil aliud utplurimum fuit, quam famæ ſtudium, ad quam remedia voluntatis ægræ philoſophica Ethnici referebant. Non negandum omnino, quosdam inter illos præ aliis extitiſſe, qui virtuoſorum nomen reportarunt. Ita quem fugit Ariſtidis juſtitia, Socratis temperantia, Attici pietas, Scipionis continentia, Cimonis liberalitas, Cæſaris Clementia & quæ ſunt alia virtutum Ethnicarum exempla, de quibus eſt videre Valer. Max. Verum ſi easdem ex fine æſtimes, hunc maximam ſibi partem præfixum habuerunt, ut nominis extenderent famam. Hæc enim e.g. ut alios taceamus, Philoſophandi ratio erat Ciceronis: Nullam, inquientis, virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ, qua quidem detracta, quid eſt, quod tantis nos laboribus exerceamus, vid. ejus Oratio pro Archia Poëta. At dices forte, parum hæc convenire cum veterum Philoſophorum ſcriptis, quibus modeſtiam & contemptum ſui tam ſerio commendarunt. Leg. Huet. in Quæſt. Alnet. de Concord. R. & F. Lib. III. Cap. VIII. Specioſa ſatis objectio, ſed ingenua modo dicti Ciceronis confeſſione refellenda. Ita enim cit. loc. appoſitiſſime ad rem: Ipſi illi Philoſophi etiam in illis Libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt. In eo ipſo, in quo prædicationem nobili-

Digitized by Google

nobilitatemque deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari volunt. Plane aliter veri Chriſtiani loquuntur, quorum in admovendis ægræ voluntati medelis ſcopus unice DEI gloria eſt. Ut hæ ejus operationi debentur, ita quicquid habent, gloriæ miſericordiæ divinæ tribuunt, in quo autem cooperantur, in gloriam ejusdem ſuſcipiunt.

(mm) Reſtat poſtrema tandem, quæ medelas inter Philoſophicas & Theologicas intercedit differentia, reſpectu nimirum effectus. Hic enim ſi priores reſpicias, eſt ſanitas moralis tantum. Qualis enim cauſa talis effectus eſt. Cum igitur medelarum philoſophicarum non alia ſit, niſi intellectus recte judicans ſecundum legem N. & obediens voluntas concurrente non niſi generali DEI motione, non vero ſpeciali Sp. S. gratia operante, etiam effectus non poteſt eſſe niſi mere moralis & philoſophica, quæ in qualicunque ægræ voluntatis emendatione circa res naturales ſ Ethicas, politicas &c. verſante conſiſtit. Quo crebrior itaque Ethnicæ virtutis actio erat, tanto major hujus præ alio erat emendatio voluntatis, qua e.g. iracundiam cohibere, animum quoad externa vincere, externo opere obedire Magiſtratibus, obtemperare parentibus, a furto, cæde, & adulterio continere manus, atque in hoc externarum actionum exercitio alios antecellere poterat. Sed quid in comparatione medelarum ſpiritualium, ſi ad diverſum plane effectum attendas, Formula Concordiæ aſſerit Art. II. ubi hæc verba habentur: Ratio & naturale liberum arbitrium habet aliquo modo facultatem, ut externam honeſtam vitam inſtituere poſſit: at ut interne homo renaſcatur, ipſiusque cor & animus immutentur, hoc ſolius Spiritus S. opus eſt. En diverſum plane effectum, ſanitatem nempe ſpiritualem, a medelis Theologicis productam. Quam etiam, ne Symbololatrias nos quispiam poſtulat, ex Norma normati S. S. ſpeciatim Eph. II. v. 10. comprobamus.

§. 7.

Abſolvimus ſic B. C. D. noſtram de palmariis ægræ voluntatis humanæ medelis meditationem philoſophicam. Patebit exinde, quo uſque arbitrii noſtri libertas ſe extendat, & quantum inter naturam & gratiam diſtinguendum ſit. Multa in ſuo genere ope medelarum Philoſophicarum Ethnici præſtiterunt: ſed monendi eo ipſo nomine Chriſtiani ſunt, ut, cum ſalubriores medelas habeant, de vera ac interiori voluntatis ſuæ emendatione ſolliciti ſint, niſi (quod turpiſſimum eſt) ab ipſis gentibus pudore ſuffundi velint.

TANTVM.

Digitized by Google

COROLLARIA.

I. *Tres Logicorum operationes mentis cum quibusdam non cumulandæ ſunt.*

II. *Ultimum intellectus practici judicium voluntatem non determinat.*

III. *J. N. nil roboris habet, niſi præſupponitur exiſtentia Dei.*

IV. *Naturalis Dei cognitio non eſt ſalvifica.*

V. *Nil eſſe in intellectu, quod non antea fuerit in ſenſu, non univerſale eſt.*

VI. *Virtutes gentilium non gradualiter differunt a Chriſtianis.*

VII. *Philoſophiæ in Theologia uſus non denegandus eſt.*

Digitized by Google